

AUGUSTINUS VICEM CARDINALI HENRICO NORISIO REPENDENS.

PRODIT NORISIUM VINDICATURUS ab Anonymo sub conficta appellatione Henrici Duacensis Theologi.

PRIMA PARS.

CONTINET NORISIUM AB AUGUSTINO VINDICATUM falsis ab calumniis Henrici Duacensis Theologi, sub *Dialogi* forma, Augustinum Hipponensem inter & Prosperum Madritensem invicem colloquentes.

§. UNICUS.

RESPONDET NUMERATIM §. PRIMO Duacensis Libelli.

1 P*Rosper Augustino.* Præexcelse Parens, grandi honori tuo ipsemet debes, Henricum Norisium, qui olim Vindex tuus strenuus extitit quibusdam ab hominibus falsò grandibus, sed verè arrogantibus; qui ausu temerario tentarunt, tuam præpollentem in Ecclesia Authoritatem labefactare, quia forsan parùm faventem suis domesticis Assertis: quibusdam ex eis doctrinam tuam *intricatissimam*, *obscurissimam*, *captuque haud perceptibilem* passim carpentibus. Aliis *nihil sibiipsi constantem*, *& antilogiis refertam* accusantibus. Aliis te in ea tra- Ad Vindic. August. præf.

den-

denda *ita interdum æstu disputationis abreptum adversùs Ecclesiæ hostes, ut veritatis metas aberrando transilieris, ipsisque manus dederis.* Aliis ob illam *te in causa fuisse tumultuum atque fatalium divisionum; adeò ut non pauci in Gallia docti* & *in docti periclitarentur usque ad animarum exitium, à recta fide deficientes, & in hæresim declinantes.* Aliis denique hujus generis conviciorum plaustris (quæ longum esset cuncta referre) reverentiam tuæ debitam doctrinę dilacerantibus, alioquin per tredecim usquemodò sæcula à Summis Pontificibus, Sacris OEcumenicis Conciliis, & antiquis Ecclesiæ Patribus miris laudibus commendatæ.

2 Quia ergo, Sanctissime Pater, Norisius tuus adversùs homines istos tibi adeò injurios in palæstram descendit, te ceu Patrem dilectum, tuaque dogmata sana, & vera, ab omni prorsùs suspicionis labe defœcata ex eis vindicaturus: hac de causa adeò semper infensus, & offensus fuit ejusdem Sodalitii alumnis, ut postquam annis elapsis Scripta ejus velut *Jansenismi*, & *Bajanismi* lue infecta ter denunciaverint apud Sacrum Fidei Tribunal Romanum, & quater coram Sanctissimo Dom. Nost. Innocencio XII. & experti sunt toties ab utraque rigidissima severioreque censura immunia exiisse vel leviusculæ suspicionis: modò in nostra Hispania insurrexit quidam confictus *Theologus Duacensis*, sed reapse Madritensis, appellationis ejusdem cum Norisio, ast animi valdè disjuncti, ipsum denuò multis carpens de *Bajanismo, Jansenismo, Quesnellismo, Calvinismo, & Lutheranismo.* (Vel non ita citò in via lassari potuit, quin usque ad Manichæismum, & Pelagianismum ascenderet, unde ceu rivi cuncti ab eo enumerati fluxere.)

3 *Augustinus Prospero.* Et id attentavit inimicus homo post tot recensita examina Operum Norisii mei?

4 *Prosper.* Ita quidem Pater excelse: hæc verò post alia, quæ haud explicare oportet.

5 *Augustinus.* Proh hominis inquietudo! Sed dicito jam mihi Prosper: quorum criminum Duacensis Theologus in suo Libello denuò Norisium insimulat?

6 *Prosper.* Novum nil affert; sed veteres suas calumnias modò reproducere conatur.

7 *Augustinus.* Quas verò Prosper?

8 *Prosper.* Velint nolint Summi Pontifices (bene verum quod haud locuti sunt ex *Cathedra* in re Norisiana, sed tantummodò ut *Judices privati in re facti particulari*, ab hominum testimo-

mo-

moniis proindè fallibilibus, errorique expositis, dependente. Sed vero interea causæ accessere Norisianæ suis supremis sententiis, à quibus ad aliud quodcumque humanum Tribunal haud valet appellare) * Ergo Duacensis (Augustine Parens) in suo Libello nuper edito, licèt aliàs ad annum 1730. falsò retroacto, eò collineat, ut velint nolint Pontifices Summi inspectione paulò ante apposita: velint nolint Domini Romani Inquisitores, qui primitùs eidem tui Norisii causæ iteratis judiciis suffragarunt: velint nolint innumerabilis ferè turba, sed semper spectabilis doctissimorum Theologorum, Romanorum, Venetorum, Patavinorum, Veronensium, Salmantinorum (his omnibus locis Scripta Norisii typis hactenus data sunt, & sub censuris eorum primùm approbata, dignaque inventa, ut publicam lucem viderent.) Velint itaque nolint cuncti laudati, contendit Duacensis Theologus (sibi potiùs fidens) quòd omnibus his non obstantibus, Card. Norisius censendus est *Quesnellianus*, *Jansenianus*, *Bajanus*, *Calvinista*, *Lutheranus*, & velut homo tot hæresum fœcibus exuberans, è orbe Catholico tollendus, proscribendus, horrendus, vitandus, & ex Sacris Dypticis funditùs eradendus.

* Bellarm. lib.4. *de Pont.* Baronius, Spondanus in Honorii Hist. laudati ab Arsdekim sua Th. trip. q. 3. *de Infal. Sum. Pont.* n.4.

9 *Augustinus.* Quæ verò, Prosper, Norisii delicta tantæ recruditati? Cui ve, aut quibus illam innixam prodit Duacensis?

10 *Prosper.* Dicam Pater, Libellum Theologi Duacensis numeratim percurrendo. Primò Norisium insimulat, quòd in *Historia Gothescalcana*, *& Pelagiana* ab ipso elucubratis, *veluti Scopum sibi præfixisse videtur*, *Bajanas*, *atque Jansenianas positiones à damnationis flammis eripere*, *& in integrum restitutas*, *incolumes Scholis reddere.* N.1. *Postquam.*

11 *Augustinus.* Dic ei Prosper, quòd Norisius dictis, & aliis suis Elucubrationibus, non aliò intendit, nisi Sententias meas exantiquare, quæ priscis temporibus in Scholis semper viguere communi omnium plausu, parilique veneratione, quam semper Ecclesiæ merui, cunctis exceptæ: priusquàm non secus ac ipse, plures alii novitatum Amatores, atque Theologiæ *Aristotelicæ* potiùs quàm *Dogmaticæ*, ceu refugæ illas deseruere, mecumque simùl alios quamplures Ecclesiæ Patres, à minoribus Infulis usque ad Supremam Tiaram, omnes illos sanctitate vitæ, pariter ac excellentia doctrinæ valdè conspicuos, ceu qui mihi mentique meæ semper adhæsere. De hoc Norisii scopo, & intentu sat liquet in libro *Vindiciarum mearum*, ubi cunctos meos,

ac

ac suos Augustinenses rogat, quatenùs super hoc studio maximè invigilent, reddendi nimirùm Scholis, ejus adinstar, Sententias meas temporum hominumque incuriâ oblivioni datas. Insimùl primarius ipsius conatus, ceu ingenui devotique Filii, fuit, easdem meas Sententias cunctis ab injuriosis notis & censuris expurgare, queis quidam inimici homines illas obscurare, atque deturpare sunt ausi.

12 *Prosper.* Constat hic Norisii tibi debitus cultus, & piissimus conatus ex præfatione *Vindiciarum*, quem alioquin fecit, atque plene & planè perfecit. Immò quia officium suum quoad hoc tibi ex Filio adeò sapiente debitum adimplens, eorum nonnullos cœcîdit, hinc tanta orta est apud ipsos adversus eum, & sæpè mota seditio, ut nullibi eum consistere sinant, quin ex universo orbe Catholico contendant propulsare.

13 Sed adhuc Duacensis plus eodem numero 1. subnectit, inquiens: *Rerum ac temporum statui pernecessarium duxi, nonnulla indicare, quibus mens, & spiritus Norisianus penitùs innotescat.*

14 *Augustinus.* Haud bonus est ponderator spirituum: de spiritu mei Norisii suis in *Vindiciis*, jam me audisti: & crediderim, quèmquam ultrò assensurum, qui solam earum præfationem vel celeriusculè legerit. Quoad necessitatem verò qua arctatus proponitur Libellum suum editurus: Ego quidem *rerum ac temporum statu ipso inspecto*, & maturè circunspecto, nedum non *necessarium*, & supervacaneum, immò petulantissimum potiùs, ipsius argumentum ducerem, postquàm mundo innotuit quid de Norisianis scriptis senserit qui meliùs sentit, *quique* haud Duacensem latet. Dic Prosper.

15 *Prosper.* Prosequitur Duacensis Theologus, numero 2. Norisium incusare, quòd *Quenellum infrunitum aliàs Catholicæ Religionis hostem Encomiis liberalissimis & iteratis extulerit: quinimò & illius præsidium pro suarum opinionum confirmatione, & fulcimento affectare contenderit.*

N. 2. *Neutiquam.*

16 *Augustinus.* Sed roga eum, & exhortare in Domino, ubinam, & quando Norisius ita liberalissimè hominem extulit?

17 *Prosper.* Primum omninò prætermisit, qui alioquin haud deses fuit, notis marginalibus Libellum suum fucare iis quæ Norisium offendunt.

18 *Augustinus.* Quid igitur? Semet ita ingenuum nobis venditare præsumpsit, quòd in sola fide ipsius dicentis esset credendus? Vah ingens hominis præsumptio! Verumtamen aut floc-

ci

ci intereſt, quòd locum non dederit hiſce encomiis Noriſianis per ipſum aſſertis erga Queſnellum. Nonne in mei dedecus vertetur; quòd *Julianum Eclanenſem*, aliàs Pelagianorum accerrimum, & Catholicæ Religionis hoſtem infenſiſsimum, iteratis encomiis laudaverim, & ingenii ejus acumen ſæpe extulerim? Vel quòd cum eo familiares amicitias egi, & duxi, poſt Patrem ejus *Memorium* mihi notum, & addictum? Hæc veracitatis, ingenuitatis, atque Chriſtianæ etiam urbanitatis officia ſunt debita: quocum cohæret, & optimè, malum in homine morale, quantumvis amiciore, aut bonis naturæ præſtantiore, odire, vitare, inſequi: ceu ipſemet peregi cùm dicto *Juliano* in quantum Hæretico, & à recta fide deflectente, prout cùm dictis, tùm tot libris adverſus eum per me exaratis ſat abunde conſtat.

19 Et ut plenius Duacenſis convincatur ſuæ vel contemptibilis augutationis, ſiſtat aliquantulum ſuis à libeculis, & legat Beatiſsimum P. Benedictum Papam hujus nominis XIV. nunc in Eccleſia militante feliciter regnantem *tom. 4. de Serv. Dei Beatif. & BB. Canoniz. lib. 4. part. 1. cap. 22. &* 30. Ibi laudatos inveniet ſupra ſexcentos alios, *Robertum Boyle*, *& Franciſcum Bacco Baro de Verulamio*, utrumque Anglum & Hæreticum: & de ſecundo præſertim dicentem: *Graviter philoſophatur, quærens &c.* Inſuper, ſaltem joci gratiâ, videat RR. P. M. Feixo Benedictinum in ſuo *Theatro Critico, tom. 2. Epiſt. Erudit. epiſt.* 13. ubi ad nauſeam uſque ſaturabitur exemplis graviſsimorum Scriptorum Catholicorum, varios cùm Hæreticos, tùm Atheiſtas, & Schiſmaticos, effuſiſsimis liberaliſsimiſque encomiis collaudantium; à Card. Palavicino inchoando, qui *Zuinglium*, Juſto Lipſio, qui *Iſaac Cauſabon*, Authore Bibliographiæ Criticæ, qui *Petrum Bayle*, P. Renato Rapin, qui *Thomam Hobbes*, uſque ad Catholiciſsimos PP. aſcendendo, Franciſcum *Pagi*, & Philipum *Labbe*, quin & Abb. *Fleuri*, qui *Phocium*, Hæreticum ſimul atque Schiſmaticum, unum ex inſolentioribus & pernicioſioribus hoſtibus Eccleſiæ & Sedis Apoſtolicæ. Omnes in unum hæreticos homines reſpectivè collaudarunt. Modò autem ab Duacenſi quærerem, num tot Catholiciſsimos Authores, & inter eos Beatiſsimum Benedictum XIV. forſan inſimulabit hæreſis, Atheiſmi, vel Schiſmatis, quia ita liberaliſsimè & effuſiſsimè homines Hæreticos, Atheiſtas, & Schiſmaticos, collaudarint? Vadat itaque Duacenſis Theologus ad laudatum Magiſ-

Inſuper ſuper hoc vid. Graveſon, *tom. 6. Epiſt. 2. Claſſis, pag.* 214. Ubi refert Carden. Palacivinum, Toletum, Theophilum Raynaudum; Aubertum Mireum, omnes miris laudibus extollentes Michaelem Bajum, tum ob ejus grandem ſapientiã, tum modeſtiã & humilitatem &c.

Rursus apud eumdem eodem *tom.* 6. habetur, Bibliothecā Belgicam profusis encomiis extollentem Jansenium.

gistrum *Feixo* loco citato, ibique rursus efficacissimas rationes mutuabit, quibus non sine ipsius confusione, atque rubore, plene & plane convincetur sui despectibilis ratiocinii, quo Norisium ita extorte insimulandum duxit erroris Quesnelliani, ex quo Quesnellum, suis liberalissimis & iteratis encomiis, ab eo tantùm alias assertis, sed nondum probatis, extulerit, & laudarit. Interea Prosper prosequitor.

Eodem *num.*2. N. 3. *Quenellum.*

20 *Prosper.* Sed quomodo prosequar Pater? quippe Duacensis non dum abs te ita docte & cordate dictis convictus, eodem numero 2. hæc mirabundus addit: *Quesnellum! postquam lethalem fætum Catholicæ Ecclesiæ funestissimum protrudit, encomiis profusissimis Evehit, & exornat gravissimus & sapientissimus Romanæ Ecclesiæ Purpuratus!* „Quod rursus iterato inculcat numero 3. se- „quenti subjungens: *Quesnellum! nec satis miror, qui postquam* „*SS. Alex. VIII. ut erroneas, schismaticas, & hæreticas damnavit* „*31. propositiones; Romanos Theologos S. Officii Consultores, Emin.* „*Cardinales, & ipsum Alexandrum Pontificem modis indignissimis* „*exagitans, effutit:* Romanum Tribunal videtur esse latronum „latibulum. In Censuris Romanis modica apparet æquitas, & „amor pacis. Magna pars Cardinalium nihil intelligit; *& id ge-* „*nus alia, quibus Belgis instillare nitebatur, quo contemptu oporteat* „*excipere omnia, quæ Roma statuat, maximè Jansenistis ingrata.* „*Hunc (inquam) phanatico insultantem spiritu adversius Regiam, &* „*Pontificiam authoritatem, honorificentissimis elogiis cumulat, &* „*illustri sapientiæ lauro coronat Emin. Noris!*

21 *Augustinus.* Multa dixisti Prosper: ea summatim resumere tentabo. Et primò ad primum, præterquam quòd juxta ex me dicta nihil Norisio officeret, quod Quenellum quamvis alias adeo lethalem Catholicæ Ecclesiæ fætum, & hominem procasissimum laudaret, non quia talem, sed aliis ex donis naturalibus omni homini, sive Fideli, sive Infideli, Catholico, sive Hæretico, ab omnium supremo Creatore communibus: nihilominùs super hoc vel facili negotio Prosper Duacensem ipsum manifestę falsitatis convincere poteris, quòd Norisius meus numquam Quenellum laudare valuit in sensu composito suæ hæresis, ex Lege ipsa communi appellatione dicta *Coarctatæ.* Siquidem Norisius obiit anno 1704. die 12. Februarii: Quenellus verò nonnisi ad annum 1713. sexto Idus Septembris, ceu Refractarii, & hæretici anathema subiit, & mulctatus est, sub SS. P. Clemente XI. tunc in Ecclesia fauste regnante. Ergo ni velit, quod Purpuratus Nori-

ri-

risius, plusquàm quatriduanus, immò novem retrò annis tumulatus, è monumento surrexerit, Quenellum suis liberalissimis encomiis evecturus, & exornaturus, postquàm lethalis fœtus Catholicæ Ecclesiæ funestissimus fuit detectus, & ut talis proscriptus: falsissimè dicit & astruit Duacensis Theologus.

22 *Prosper.* Subsistito Pater, quoniam super his, quę Duacensis, assentatoris more vel forinsecus tantùm dicit, quamdam retorsionem paratam habeo, inferiùs loco opportuniore reflexurus, quam aut difficulter totis suis astubus effugiet, quin ceu mus in muscipula intercipietur. Interim ad numerum 4. descendendo, prosequitur Duacensis suam telam, vel potiùs technam, mutuæ utriusque Norisii, & Quenelli encomiasticæ collaudationis; & in crimen Norisio vertit, quod Quenella encomia blandis auribus exceperit; immò scriptis suis jactabundus inseruerit: *Hæc Henricus Noris vir eruditissimus inter primos S. Augustini discipulos, & defensores.* *Quoad secundò dicta.* N.4. *Nec adeò.*

23 *Augustinus.* Heu mihi! Si id argumentum subsisteret, vel levissimum suspectæ alicujus inter utrumque conventionis: ego ipse nedum *Quenellianus*, sed & *Jansenianus*, *Bajanus*, *Calvinista*, *Lutheranus*; immò & *Pelagianus*, *Semipelagianus*, *Prædestinatianus &c.* censendus forem: quippe omnes isti Pseudo-catholici, & Hęretici, quasi unomet ore cuncti convenere, me identidem atque cumulatissimè suis liberalissimis profusissimis, & honorificientissimis elogiis efferre, laurisque illustribus cùm ingenii, tùm sapientiæ coronare. Et quoad Pelagianos præsertim attinet, plura hujusce furfuris ex *Juliano Eclanensi* (quo inter eos nullus inflatiore, fanatioreve spiritu insultavit adversus Pontificiam simul atque Imperatoriam authoritatem) egomet Libris meis transcripsi, retuli, exaravi. Vel hominem nimis suspiciosum Duacensis comparere voluit, nedum in Literatorum Orbe, sed & apud judiciolum infimæ plebeculę, cum tam levi, vel arundineo fundamento Norisium meum contendit Quenelliani erroris reum & participem facere.

24 *Prosper.* Sed nondum, Pater mi, numerum quartum confecit, immò insuper subdit, Norisium incusando ignorantiæ haud modicè affectatę: quippe favori Quenelli duxit, quòd ipsum nomine discipuli, & defensoris tui appellitaret: *cum Quenellus, ei usque universa factio, nulli, qui Jansenismum ex visceribus non profiteretur, nomine discipuli Augustini neutiquam favere assuesceret.*

Au-

25 *Auguſtinus*. Aſt quid? Quod Quenellus, & cum eo ejuſmodi factioſi homines teſſeram Diſcipulatus mei ſuis in conventiculis ſibi falsò arrogarint; numquid ea propter eam denudavere, vel denudabunt umquam tot Sacri Religioſorum Ordines, doctrinæ meæ cultores? Quos inter (haud inglorius dicam) accedit *inclyta Jeſu Societas*, cujus alumni iteratis Congregationibus Generalibus (ceu mei Auguſtinenſes jure ſuarum Conſtitutionum) ſtatuerunt, varias Sententias meas, relictis quibuſvis aliis, publicis theſibus tueri, & pro viribus defenſare, quod Romæ, & alibi ſæpe implevere: prout Duacenſis ipſe alioquin ita accuratè deditus lectioni Vindiciarum Noriſianarum (ſi forſan eas legit non tàm deſtructurus, quàm aliquandò ædificandus) ex iiſdem ipſis ediſcere quivit, adeò minutatim, ut non tàm anni, quàm dies horum aliqua acciderint, ibidem per ipſum, & ab ipſo Noriſio aſsignentur.

26 Et verò hęc ex te Proſper audiens, plus confirmor ſuper leviſsimo ſpiritu Theologi Duacenſis: quod quia Quenellus Noriſium commendaret de Diſcipulatu meo, & inter primores doctrinæ meæ Aſſeclas adnumeraret & ſcriberet, iſtamque nomenclaturam lubenti animo Noriſius exciperet, & audiret (quomodo autem non acciperet & audiret homo Auguſtinenſis, Voto & Religione juratus meus Diſcipulus, & doctrinæ Defenſor?) ex tam levi principio (nec leve dicam, quin diſparatum, cœlo terraque plus diſitum) judicium ſibi extorſerit, velitque, alii extorqueant de præconcepto nimirùm ab Henrico Noriſio Janſeniano errore cum ſuo encomiaſta Quenello. Quid hìc tot Diſcipuli mei?

27 *Proſper*. Continuò gloriabimur, excelſe Pater, ſimili appellatione, ſicut (debita proportione ſervata) Apoſtoli gloriabantur, quòd *Chriſtiani* appellarentur, tametſi ab ore perfidæ Synagogæ. Dicam autem, quod numero 5. Duacenſis reponit. In eo itaque ſola ſua fide; quippe nullum prorſus inſtrumentum exhibet, vel citat.

28 *Auguſtinus*. Age Proſper, ultra non progrediare: ſat fuit paulò ante ei gratis credere. Vel inſtrumenta paret, vel deinceps nihil ei fidendum. Quid? quod vanæ ſint ipſius nugæ, vel ſuſpiciones malevolæ antedicti adinſtar?

29 *Proſper*. Aſt Pater ſuſtine pauliſper: paululùm converſus ad marginem Duacenſis Libelli, hâc eâdem paginâ quaſi numerum tertium indicens, hæc notula continetur: *In Libell. Epiſt.*

Ab-

Abbatis ad quemdam Rom. Curiæ Præl. fol. 15. 21. 31. Fortaſſe ad eamdem notulam Duacenſis referet quæ hoc numero 5. narrat.

30 *Auguſtinus. Libellum* dicit? *Epiſtolarum Abbatis*, adiicit? *Vivit Dominus*, ſi forſan ante univerſalem reſurrectionem ſurrexerit *Abbas Panormitanus*! Hic quippe tantùm ſub *Abbatis* appellatione antonomaſticè cognoſcitur in Orbe literario. Sed verò etſi *Abbas Panormitanus* ſurrexiſſet à mortuis, nihil de Noriſio poſſet conteſtari, quem numquam viderit, & tot retro annis anteierit. Accedit, quòd quæ docte & doctiſsime ſcripſit *Abbas Panormitanus*, ſcimus: quòd vero Libellum ullum, nec Epiſtolarum, nec aliorum argumentorum, ediderit, neſcimus: neque de Viro adeò modeſto & religioſo crederem ego, quòd fieri Author vellet Libellorum famoſorum, nec chartas ſcribere ulli injurioſas, aut cujuſcumque detractorias. Libellus ejuſmodi penitùs nobis ignotus, mehercle, eſſe debet alicujus Noriſii æmulatoris ex tot, quot habuit implacabiles. Vel etiam confictus, cùm nec Abbatem nominet mittentem, titulum, aut cognòmen, nec Romanæ Curiæ Prælatum, cui miſſus dicitur. Donec Duacenſis illum propria appellatione, titulo, aut cognomine, mundo detegat, in noſtra ſuſpicione erimus, nec ceu ille, leviter ducti: quoniam ſi quot Anonymi adverſus Noriſium prodiere ab anno 1673. uſque modò, jungendi eſſent, arbitror quòd ejus Bibliotheca, quantumvis ſpatioſa & magna (ſi vel parvulam & anguſtam habet) tot haud poſſet capere. Intereà quamdiu ille tardat nobis demonſtrare, quis ſit ejuſmodi *Abbas marginalis*, dic Proſper quod *numero* 5. Libelli ſui Duacenſis reponit.

31 *Proſper*. Quenellum introducit quaſi contendere viſum *ſupra omnem authoritatem, etiam Pontificiam, Noriſium collocare.* N. 5. *Non impar.*

32 *Auguſtinus.* Is homo totus ex fraude & mendacio eſt compoſitus: quippe culpam Quenelli in Noriſium fraudulenter derivat? Numquid in Quenello contentus eſt Noriſius, ceu nos in lumbis Adæ, ut peccatum hujus perſonale nobis fieret commune? Vel Quenelli ſpiritus in Noriſium tranſmigravit, ut ad communitatem animorum, fieretquoque unitas actionum?

33 *Proſper*. Aſt de hoc ſatis Pater, alioquin tranſgreſſus divinum Oraculum, dicens: *Reſponde ſtulto juxta ſtultitiam ſuam.*

34 *Auguſtinus*. Sed cordatis, & prudentibus dicam, Noriſium meum aſiduè ſubmiſsiorem atque reverentiorem obedientiam præſtitiſſe Supremæ Authoritati Pontificiæ, pro qua in Inno-

nocentio XII. & Clemente XI. ingentes labores, vel homini superiores, exhausit, exantlavit: quippe ex eorum mandato, quot sunt in septimana profesti dies, totidem, quoad vixit, fuit perpetuus assistens septem Congregationibus Cardinalitiis, quibus ab eis fuerat adlectus, & super rebus gravissimis; adeo ut vel officiis naturæ necessariis vix locus ei superesset, prout aliquando confidentiori suo amico scribens, conquestus est. Legat & perlegat Duacensis vitæ ejus seriem, typis editam tum Venetiis, tum Veronæ: & si, sicut ego haud invitè de ipso credo, non crediderit ipse; vel opportunè suæ incredulitati providebo. Romam petat: Sacri ibi Palatii Bibliothecam evoluat; indubiè hujusce de Norisio brevis narrationis plurima, eaque evidentissima testimonia inveniet. Quid ultra Prosper?

35 *Prosper*. Post dicta eodem *numero* 5. ita continuatim Duacensis prosequitur: *Hinc inde agitatus premebatur Quenellus, cum Regia, & Antistitum decreta suas assertiones falsitatis, conspirationis, & hæreseos arguebant: dum Pontificia Oracula suis articulis, & menti adversantia crebrò audiebat, obstinationem infelix solabatur, dicens: Sufficit mihi authoritas sapientissimi Cardinalis Noris omnibus superior, non solùm ob ejus sublimem sapientiam, & eruditionem, sed præcipuè quia ejus liber ter ad Supremum Romanæ Inquisitionis Tribunal denunciatus, ter etiam incolumis evasit.*

36 *Augustinus*. Et benè Duacensis, ad rem deveniamus. Tu pertemet ultrò fateris, quòd quando Quenellus suis in angustiis positus, *Hinc inde agitatus &c.* seipsum solari solebat exemplo eventus Norisiani; jam tunc Norisius faustè, terque feliciter evaserat ex Supremo Tribunali Inquisitionis Romanæ: Ergo sibi misero, immò potius miserrimo, non nisi falsò blandiri poterat versiculo illo, qui veluti proverbium circumagitur etiam apud infimam plebem: *Solatium est miseris socios habere* (hic calamus hæret: tu ipse prosequitor, quia *Sodalitatis* nomen nec insonare vellem.) Norisius quippe jam jam ovans exierat, & ceu olim Triumphatores Romani quadrijugati vehebantur, non absimiliter lauro quadruplici redimitus, triplici nimirum iterata approbatione Sacræ Romanæ Inquisitionis, quarta insuper gloriosiore corona, concordis videlicèt judicii atque sententiæ octo gravissimorum Theologorum Congrègationis coram, & ex mandato felic. mem. Innocentii XII. super & ad ejus causam revisendam indictæ & celebratæ. Quid plura? Ter luctantibus

antiquum adagium victoriam paravit : Norisio autem nec dum post quater conceditur ? Infelix homo ! Ast eò felicior : quippe verba ejus vel indolis divinæ apparent, David in Psalmo aiente : *Eloquia Domini, eloquia casta : argentum ingne examinatum, probatum terræ, purgatum septuplum.*

37 Sed ad rem versus : ipsomet exemplo Quenellianæ spei atque solatii in iisdem circunstantiis, vel à Duacensi confictis, potiùs incolumitas evincitur doctrinæ Norisianæ. Quod ita ostendo : Eventus ipse probavit, argumentationem Quenelli secum ipso ductam ab exemplo Norisii, ineptam fuisse & malam : Ergo quia nulla inerat affinitas, aut conventio doctrinæ Quenellianæ ad Norisianam. Patet consequentia : quia in hoc sistit bonitas consequentiæ *in argumentatione* dicta *ab exemplo*, Summulistis ipsis haud id ignorantibus, præter Duacensem Theologum, quòd nempe inter antecedens, & consequens sit similitudo & proportio : unde Quintilianus : *Iis quæ in exemplum assumimus, subest natura, & vera vis.* Lib. 10. cap. 2.

38 Ex quo rursus sic : Theologi Romani, tum S. Officii Consultores, cùm ex mandato Innocentii XII. speciatim Congregati, primò, secundò, tertiò, quartò approbavere doctrinam Norisii, sed Quenelli reprobaverunt : Ergo quia unius ad alteram nulla intereat, suberatve vera vis, & natura. Desinat itaque Duacensis sese ita nimis arroganter jactare, invenisse scilicet in scriptis Norisianis, quod lyncei adeo oculi toties intenti haud sunt scrutati.

39 *Prosper.* Ad numerum itaque 6. gradum faciens.

40 *Augustinus.* Sed siste Prosper aliquantulum Hîc tibi fateor, vel mente deficere, hinc inde voluentem, & evoluentem, quis fuerit Duacensis animus, quisve ejus scopus, cùm Norisium aliàs incusaturus, nectit, & innectit Quenelli *solatium* ab eo supervacue conceptum, ut postea eventus declaravit!

41 *Prosper.* O Pater ! quia viri plurimi, iique cordatissimi, hoc impudentissimæ hominis arrogantiæ attribuerunt, qui non modo quibuscumque dejectæ in Ecclesia auctoritatis, sed O ! Reverendissimis DD. Inquisitoribus Sacri Tribunalis Romani, qui olim Norisium toties approbarunt, & quia approbaverunt, vitio eorum vertit, postquam suam ipsius vidit proscriptionem, approbationem istam Norisii quasi non servata debiti juris æquitate, sed potius hominis acceptione extortam, proindeque parum, aut nil consonam proscriptioni postea Que-

nel-

nello inflictæ : cum in ſcriptis Noriſianis (re bene inſpecta , prout alias inſpici & recenſeri debuit) idem doctrinæ genus , eamdemque mentem exhumare , atque eruere quiverint. Hinc Quenelli præconceptum ſolatium , immò ex Noriſii felici eventu (ipſe diceret) ſat firmiter fundatum. Hæc , Pater , hæc idea eſt judicii , quod plures Viri docti meæ Hiſpaniæ , & non ſine ſcandalo formarunt , poſtquam tecum ſunt mirati , quò Duacenſis Theologus tenderet , & intenderet , toties inculcando ſuo in libello Quenelli *ſolatium* ſuis in preſuris & anguſtiis ſumptum & reſumptum , exemplo Noriſii exitus favorabilis è Sacra Inquiſitione Romana. Quod quidem judicium plus fundant , & obfirmant dictis ejuſdem Duacenſis numero 11. & ultimo , de quo ſuo loco.

42 *Auguſtinus.* Et quidem Proſper , ejuſmodi judicium non temerarii ego damnabo. Parcat Deus homini adeò infrunito, & irreverenti. Dic ergo deinceps.

43 *Proſper.* Sed prius Pater ſine me promiſsis meis ſtare , & Duacenſem redarguere. Per te , & juxta dicta tuo numero 3. Quenellus , homo omni reprehenſione dignus , quin digniſsimus , qui ita petulantiſsime inſultavit adverſus *Romanos Theologos S. Officii Conſultores , Eminent. Cardinales &c.* ut auſus ſit effutire , & dicere : *In Cenſuris Romanis modica apparet æquitas.* Atqui per temet eadem modica æquitas apparuit in Cenſura Libri Noriſiani , qui alias ſecundùm mentem abs te conceptam æquo jure proſcribi debuit , ſicut proſcripti ſunt Articuli Quenelliani. Ergo &c. (En quomodo ceu mus in muſcipula interceptus , illaqueatus , & incarceratus manes.)

Vid. num. 22.

44 Sed modo Pater regrediens præcepto tuo obſequuturus: *numero* 6. nihil minus Duacenſis doctus tua ſuperiore correptione *numeri* 28. ſibi ſoli fidens , & confidens , & agens nobiſcum quaſi cum hominibus agreſtibus , qui eidem ſtatim fidem præbituri eſſemus (talis eſt hominis philautia & confidentia:) tertiò remigrat , argumentum inculcando reciprocæ collaudationis inter Noriſium & Quenellum. *Sic reciproca* (inquit) *præmiſſa laude , unus ab altero in ſuorum dogmatum auxilium invocatur ; & hac intima , ni multum fallor , neceſſitudine , & affectuum concordia Quenellum inter & Noriſium , licèt cætera abeſſent teſtimonia , & jam in materia doctrinæ unitas , & communio non obſcurè demonſtratur.*

N. 6. Sic.

45 *Auguſtinus.* Homini tam leviuſculi judicii , mi Proſper, re-

repone illud Ciceronis: *Primùm decipi, incommodum est: iterum, stultum: tertiò, turpe.* Cumque ipse toties suis fanaticis exemplaribus, vel potius evanidis spectris, turpissimè sit deceptus, consentaneum est illum ab hujusmodi vanitate deterrere, ne ita pervicaciter tentet & intendat, ut alii eadem animi levitate decipiantur, qui tantò melioribus sunt instructi disciplinis, prout in discursu & decursu operis hujus liquidò patebit. Cicer.lib. 1. *de Invent.*

46 Modò autem, ne forsan aliquando garriat, nos vel unum Jota libelli sui præteriisse: duplicem consequentiam hoc numero 6. vult deduci ex duplici etiam principio. Primam: ex reciprocis Quenelli, & Norisii laudibus, reciprocam quoque utriusque invocationem auxilii, pro suis dogmatibus abinvicem tuendis. Secundam: ex intima alterutrius affectuum necessitudine, & concordia; rursus non tàm similitudinem & affinitatem, quàm *unitatem* & *communionem* evinci utriusque *doctrinæ.*

47 Ad primam itaque. Homo iste Duacensis nedum *Rationalis Scientiæ*, sed insuper *Historiæ* se se plenè inscium demonstrat, cum Norisium exhibet auxiliarem Quenelli manum invocantem pro suis dogmatibus defensandis. Norisius, cujus opera ea tempestate pluribus jam retrò annis, ab anno nimirùm 1673. ter fuerant approbata à Sacra Romana Inquisitione; & deinceps, nondum sedatis suis æmulatoribus, ad eorum instantiam (penè dixerim pervicaciam) vulgatis hinc inde, & sparsis variis libellis non latinè tantùm, sed etiam lingua vulgari conscriptis, ut sic ad simpliciores usque annosas Urbis vetulas, & coram earum judicio Norisii causa compareret, quarta insuper subjuncta approbatione octo gravissimorum Theologorum, quos felic. record. Innocentius XII. Congregari mandavit, qui eadem Norisii scripta iterato strictioreque examine recenserent: Hic, inquam, pro suis dogmatibus tuendis auxilium peteret & invocaret Quenelli, aut alterius ullius! Norisius, qui sufficientissimus per semet fuit, coram Urbe & Orbe defensare dicta atque Scripta sua, itaut promeritus fuerit quaternam eorum approbationem ab tot venerandis districtisque Judicibus: nemo non videt, quòd haud desiderare potuit, quin multò minùs invocare pro eorumdem tuitione auxilium Quenelli, hominis communis, vel forsan tunc prorsùs ignoti: quippe ejus opera non nisi ad annum 1693. vel 1694. primum impressa sunt Parisiis, uti constat ex Constitutione Ex Norisii Hist.

Unigenitus : cùm alioquin Norisiana , ut dictum est , jam ante edita & approbata fuissent anno 1673. vinginti & uno annis antiquiora , & annis quadraginta præcedentia Quenellorum operum proscriptionem.

48 Quod autem Quenellus pro illis temporibus auxilium imploraverit Norisii , cùm scilicet , ut Duacensis ait , *Hinc inde agitatus premebatur , cum Regia &c.* haud inficiar. Ast quid mirum hoc , aut novum ? cum Norisius eo tempore jam Cardinalitia Purpura esset condecoratus , insuper à Beatissimo Patre Innocencio XII. inter Eminent. Cardinales Supremæ Romanę Inquisitionis Relatus. Haud profectò insolitum in mundo est, quòd Rei , vel de crimine aliquo Suspecti , favorem & auxilium Magnatum sublimiorum invocent : immò Judicum ipsorum , quorum muneris est sententiam ferre , pietatem secum ipsis implorent. Heus homo , desine te præbere , non tantùm inimicus Norisii , quantum universæ societatis humanæ, immò Christianæ , vel etiam Ethnicæ humanitatis ; cùm sic prohibeas , vitiosęque suspicioni tribuas , miseris sucurrere , lapsos levare , indigentibus opitulari.

49 Quenellus itaque (hoc dato , & non concesso) benè potuit auxilium invocare Norisii ; at numquam potuit , quoad approbationem suorum dogmatum favorem Norisii conciliare. Quomodo enim eum sibi devinciret homo impius , qui Liberum nostrum arbitrium ex peccato primi Parentis plenè extinctum ponebat : quo ex fontali errore quasi catenatim tot prodiere propositiones in eo jure merito damnatæ ? Quomodo, inquam , Henricum Norisium devinciret , qui ex Christi parabola *hominis descendentis ab Hierusalem in Jericho , & incidentis in manus latronum* , liberum hominis arbitrium , licèt alias ex illo primo peccato , astipulante Sacro Concilio Tridentino , haud leviter vulneratum , sed tamen semper servavit vivum ? Rursus, ille qui solam *libertatem à coactione* asserebat nobis relictam , nec ad nostrum meritum aliam desiderari ; quid auxilii , favorisvè expectaret (nisi spe secum ipso irrita & prorsùs vana) ab erudissimo Cardinali de Noris , qui hominibus in præsenti stadio currentibus , & agone certantibus , *libertatem* insuper omninò indispensabilem adstruxit *à necessitate* , ut ęternæ gloriæ bravium accipiant ? Quid , qui totum deferebat gratiæ , & humanam voluntatem quasi instrumentum ponebat mortuum & inanime, ex Norisio speraret , qui ab opposito hominem posuerat simul

cum

cum Dei gratia laborantem? Sicque gradatim discurrendo per centum & unam propositiones in Quenello damnatas & proscriptas, si huc spectaret, facili negotio demonstrari posset nullam earum conventionem ad Norisii scripta. Et hæc de prima consequencia.

50 Ad secundam verò (misso intereà quòd Duacensis ipse potiùs intimioris affectuum necessitudinis & concordiæ probatur cum Quenello, quippe qui sic recondita cordis ejus callère potuit, & scrutari) idemmet detegitur vel in Logica adhuc tirunculus, immò parum Christianus, immò quid? Sed linguæ & calamo parcam, quippe haud modestiam decet meam.

51 *Prosper.* Sed ego Pater bonâ tuâ veniâ haud taceam, quia jam te capio: Pseudotheologus & Pharisaicus. Quod etiam manifeste probo ab exemplo. Versabatur Christus Dominus cum peccatoribus, & publicanis: signa eis exhibebat *intimioris necessitudinis, & affectuum concordiæ*: cujusmodi erant, in domibus eorum discumbere, apud eos manere, cum eis epulari. Et en Pharisæi hinc deducebant in Christo unitatem, & communionem quoque morum cum eis. Nunc sic: Duacensis ex haud absimili principio, quin quævis alia ut inutilia despicit (*licèt cætera abessent omnia*, inquit) necessitudinis videlicet, & affectuum concordiæ Norisii cum Quenello, infert quoque in Norisio unitatem & communionem doctrinæ cum illo. Ergo.

52 *Augustinus.* Contiscece Prosper: quicquid autem sit de bonitate, vel malitia tuæ consequentiæ: Ego ad ejus ædificationem addam à te dictis, quod de Sancto Xaverio (Solis Ignatiani Sidere fulgentissimo) legitur in ejus Actis, quòd cum in Indiis esset Orientalibus, solebat vel familiarissimè agere, & conversari, quin etiam aliquando chartis ludere, cum perditissimis hominibus, & scandalosis peccatoribus. Hæ autem in Divo Xaverio ingeniosæ erant astutiæ christianæ charitatis, eos scilicet trahendi ad fidem, & pœnitentiam, & retrahendi à suis superstitionibus, & peccatis. Non absimiliter, forsan ea intimiore affectuum reciproca necessitudine Norisii cum Quenello, eo tenderet, ut illum à sua præconcepta doctrina opposita Pontificiis Oraculis revocaret, & in saniorem redigeret. Præsumptio saltem pro Norisio stat, quippe qui, testimonium perhibente quem haud Duacensis ignorat, *continuò usque ad sui obitum strenuam & maximè utilem operam pro Ecclesia navavit.*

53 Sed demus, quod Norisii scopus haud iste fuerit. Quenel-

nellus tunc temporis, quamdiu ſcilicet fingitur tamquam alter David cum Jonatha Noriſio conglutinatus. (ô! vel Phœnix in terra.) Pro ea, inquam, tempeſtate nondum Quenellus erat tamquam Refractarius ab Eccleſia proſcriptus: neque rurſus fuit, niſi poſt novem annos, ſex menſes, & viginti quinque dies ab obitu Cardinalis Henrici de Noris. Ergo nondum erat hæreticus vitandus, ut cum eo Noriſius non poſſet licitè communicare, vel ſtrictiore amicitiæ fœdere eum ſibi conjunctum habere. Utquid igitur argumentationem adeò futilem toties refricare, & aërem ventoſiſsimis verbis cædere?

Sic ex Conſt. Unigenit. evincitur.

54 His igitur liquidò fit, quòd Duacenſis, ultra quam hominem Chriſtianum decet, ita temerè de Noriſio ſuſpicatus; ipſemet inſuper proditur in re Logica tamquam plumbeus tyro: quippe ex principio adeò univerſali & generico, & non in materia neceſſaria, ſed valdè contingenti & caſuali, ceu datâ *intimiore, & reciproca affectuum neceſsitudine inter Noriſium & Quenellum*, conſequentiam infert nedum in ſpecie, verumetiam in individuo determinatam, immò diſparatiſsimam, & toto cœlo aberrantem, *unitatis* videlicet *doctrinæ* inter utrumque *communis*, & familiaris. Proſper ultrà progredere.

55 *Proſper.* Aſt Pater, nihil minus doctrinâ tuâ catholicâ, & ſanâ Duacenſis correptus, immò tanto plus pervicacior, ſubdit ſic eodem *numero 6. Id abſolutè firmant plures primæ notæ Doctores Catholici, qui Noriſianam mentem ſedulò extricavère, & aperti Janſeniſmi incuſarunt.*

56 *Auguſtinus.* Quærito ab eo Proſper primùm, cujuſnam relationis eſt illud *Id*? Ad *quid*, vel *quæ*, vel *quod* refertur? Quoniam quod immediate ante dixit, præciſe fuit diſparata ipſius ſuſpicio de unitate doctrinæ Noriſii cum Quenello ab eo extorta ex ſola utriuſque communicatione ſcripto tenus, quin uſquam ſe ſe viciſsim viderint, aut audierint. Hęc autem ipſius ſuſpicio ſpectro ſimilis, quomodo cadere potuit in hiſce Doctoribus *primæ notæ*, tùm ſanioris conſcientiæ, tùm qui tot annis retrò (uno excepto Papebrochio, huic adhæreſcentibus Navarro, & Fontaine) Noriſium, & Quenellum præceſſere. Sic ſibi ſomnia fingit iſte maleferiatus Duacenſis.

57 *Proſper.* Fortaſsis Pater, ſupra unitatem doctrinæ appellabit, & haud valens ſe ſe explicare, necdùm primis elementis, ſeu terminis, quos vel unius diei Logiculus diſtinguit, & ſecernit, nempe, *formaliter*, & *materialiter*, *ſpecificativè*, & *reduplica-*

ca-

cativè, Norisii doctrinam, de qua aliàs loqui deberet in *ſenſu materiali*, & *ſpecificativo*, involvit, & revolvit *formaliter reduplicatam* ſua maligna, & extorta ſuſpicione, quin judicio prorſus temerario, prout abs te dictis manifeſtim convincitur.

58 *Auguſtinus*. Ejus inſcitiæ parcam. Aſt non petulantiæ, qua auſum ſuum iterato refricat adverſus aliàs reverentioris venerationis dignisſimos, Illuſtrisſimos Dominos Inquiſitores Romanos, quin & Theologos Cenſores per Beatisſimum P. Innocentium XII. rurſus adlectos, ſeduliori examini, atque trutinæ Operum mei Norisii; eos (inquam) denuò inſimulando ſegnioris inertiæ, qua in eorum approbatione proceſſêre; inſimùl eiſdem præferendo quoſvis Authores particulares, quos reſpectivè dicit *primæ notæ*, & addit, potius *ſedulò extricatos mentem Noriſianam, eamque idcircò aperti Janſeniſmi incuſaſſe*. Et hæc homo effutit, qui *numero* 3. fanaticum Quenellum, non abſque graviore, & meritò, aurium offenſione, audivit inſultantem: *In cenſuris Romanis modica apparet æquitas: Magna pars Cardinalium nihil intelligit?*

59 *Proſper*. Propitius ſit Dominus peccato ejus: multum eſt enim.

60 *Auguſtinus*. Sed dic jam Proſper, quos linceos Authores citet & *primæ notæ* alleget, potiùs Noriſianæ mentis extricatores, quàm fuerint illi viri perſpicacisſimi, qui vel erroris umbram in ejus ſcriptis non invenerunt.

61 *Proſper*. Hi ſunt *Papebrochius*, *Gonet* Dominicanus, *Macedo* Franciſcanus, *Martinon* Jeſuita, *Leſsius*, *Tannerus* (quaſi iſti etiam Jeſuitæ non eſſent; eos autem quia forſan non viderit, ſed relatos à *Gonet* tantùm: *tom.*4. *diſp.*1. *art.*3. *n.*153.) Et ut *Gonetus* audiatur, quaſi mundum univerſum convocans, ait ſic. Audiatur *Gonet*: *Damnata videtur. Unde Tannerus diſp.de Grat.dub.*3. *fatetur, ſe neſcire, qua ratione ſine periculo ſententia iſta defendi poſſit. Et Leſsius de Auxiliis cap.* 10. *num.*5. *conſtanter affirmat, ſententiam Ariminenſis* (hic infidus Tranſcriptor, quippe P. Gabrielis Vazquezii cognomen aliàs ſubjunctum ab eodem Gonet, remiſit) *una cum Bajo, ab his Pontificibus* (Pio V. & Gregorio XIII.) *fuiſſe damnatam*. Et poſt factum Sermonem, quaſi *Ave Maria* ab auditorio petens, vel *Pater noſter* pro anima Norisii emortui, ita concludit: *Pro hac ſententia ſtat Noris, quam Lutheranam eſſe credit Fontaine tom.*1. *fol.*31. *n.*7.

62 *Auguſtinus*. Priuſquam ad alia tranſeam, primùm à Dua-

cen-

censi quærerem, quam ob rem cum sententia, quam Gonet dicit sibi visam *Damnatam*, primò fuerit mei *Gregorii Ariminensis*, & P. *Gabrielis Vazquez*, quos ipsemet idcircò nominatim citat: quare (inquam) sic erravit scopum, ut Ariminensem, & Vazquium intactos relinquens, omnia sua jacula sui Libelli vertat, & convertat, flectat, & reflectat, torqueat, & intorqueat, versùs Norisium, volens illum exacerbiore acrimonia confodere, extirpare, & ex hominum memoria, etiam post tot retrò annos cum mortuis degentem funditus delere? O si viveret! Pulex ipse adeò strenuo Gladiatori, qualem ejus studiosi experti sunt ex quinque suis eruditissimis Dissertationibus Romæ editis (Urbe Roma, inquam, non in abscondito, prout illi in cubilibus suis) omnium omnino Sapientum non studio partium abreptorum, communi plausu, parilique eruditionis suæ admiratione exceptis, queis suos alioquin invidissimos æmulatores manum ori imponere: confusosque & rubore plenos è prælio recedere coëgit. Quare ergo (iterum quæro) Duacensis tela sua, *Ariminensi*, & *Vazquio* relictis (Solare, Solare Henrice Norisi, qui Gregorium Ariminensem, tuum Coaugustinensem antiquum, & celeberrimum omnibus veteribus Scholis summa reverentia cultum, & acceptum, comitem injuriarum tuarum habes: simùl tibi adjuncto acutissimo & sapientissimo Complutensi Doctore, & Jesuiticæ Scholæ luminari præfulgido P. Gabriele Vazquez, tamquam Authore quoque damnatæ sententiæ, proindeque *damnationis flammis* digno.) Quare, inquam, non in Ariminensem potius & Vazquium furit homo iste, sed totus ejus Libellus in Norisium conspirat? Proh! bene quidem Prosper meus mihi initio dixit, cùm *numero* 1. hujus furoris causam & scopum detexit.

63 Post hæc ad Authores reflectendo, quos Duacensis testes vocat suæ præconceptæ suspicionis de non sana Norisii doctrina, & 1. à primo Papebrochio inchoando (hoc uno prætermisso, quòd ea propter his & aliis ab eo dictis & scriptis, tot in dies sunt delationes, & querimoniæ adversus eum in Curia Romana, prout Duacensi constitit ex illo cujus testimonium verum est, & nullum aliud verius.) Hoc, inquam, prætermisso (sicut insuper quòd idem Author magnam farraginis copiam Duacensi suppeditavit huic suo Libello confarcinando) quoad rem nostram attinet: Omnes Viri cordati judicium ferant, post semel tantùm visam Norisii præfationem ad meas ipsius Vindicias, fuerit ne excusatio ejus peroptima in illis aggrediendis, quin mihi ex Filio

ita

ita pio & ſapiente perdebita , cui alioquin coarguere poſſem: *Si ego Pater , ubi eſt honor meus* ? Quare ob hanc Alumni mei erga me pietatem haud promereri potuit , quòd ſi non laudaretur , ſaltem non ita vituperaretur , ut *Papebrochius* calumniam replicarit , poſtquam ei de peſsima excuſatione detraxit: primò , *ipſum haud ductum amore mei Hipponenſis* , *quin potius Pſeudo Auguſtini Iprenſis* : ſecundò , *non veritatis antiquæ zelo, ſed novæ conſpirationis intuitu.* Ubi hominis religioſi , ſimulque eruditi modeſtia ! Quod Noriſius ſecum non conveniret ſuper re merè hiſtoriali, eaque antiquiſsima pluſquam tredecim retro ſæculorum , quid criminis in eo , ut ita turpiter tractaretur?

64 Quæ Noriſius in ſua *Hiſtoria Pelagiana* refert de *Sancto Vincentio Lyrinenſi* , multis probat , & comprobat documentis Patrum , & Hiſtoriographorum cùm authoritate , tum antiquitate fide utique digniſsimorum. Neque eis ſanctitatem vel minimum offendit Div. Vincentii , aut debitum ipſi cultum tepefacit : ſicut nuſquam in Eccleſia refriguit cultus & maxima ſanctitas magni Cypriani Afri , Doctoris ſapientiſsimi , & Chriſti Martyris invictiſsimi : quia olim ſenſerit ſuper Sacro Baptiſmate aliter ac poſtea temporum decurſu Sancta Mater Eccleſia declaravit , & fide tenendum conſtituit. Quid ergo? quod Noriſius non abſimile dixerit de *Div. Vincentio Lyrinenſi* , ſe ſe referens ad ea tempora , quibus nondum *Semipeliagianiſmus* (cuique egomet aliquando adhæſi , uti in *Retractationibus* , & aliis ſcriptis meis ſum non ſemel faſſus) erat ab Eccleſia proſcriptus , nec fuit niſi poſt annos cenſum & plus à pretioſa morte ejuſdem *Divi* , qui tot decurrerunt uſque ad Concilium Arauſicanum , potuit mereri tantam Papebrochii indignationem ? Melius illi eſſet atque cordatius , geſtis laudabilibus Sanctorum attendere , quàm aliorum injuriis intendere. Et quod ad Duacenſem Theologum ſpectat , ſi doctior ſuper hac re fieri voluerit , conſulat Sanctiſsimum Dominum & Patrem Benedictum XIV. Militantis Eccleſiæ clavum modo tenentem *tom. 3. de Serv. Dei Beatif. & Canoniz. lib. 3. cap. 20.* Ubi ſuperiore facundia qua ſolet , rem pro dignitate tractat : Et mehercle , ejus utiliore doctrina inſtructus , & doctus , ni potius velit ignorantiam affectare , cautior evadet , ne in poſterum adverſus Noriſium calumniam *Papebrochii* refricet , quippe prorſus inique & indebitè impactam , & ex quaſi puſillorum ſcandalo ortam.

Quod

65 Quod ad Gonetum vero attinet, ſecundùm teſtem vocatum adverſus meum Noriſium: præterquam quod non deſunt Authores, qui dicant, eum, cùm ex Prædeterminatorum Schola ſit, parum conſequentèr ad eos hac in re proceſiſſe, quin receſiſſe, ſententiam *Ariminenſis* deſerendo, quam alioquin haud calluit, quo vitio plures alii laborant, & multi laborarunt: tamen ſi ſimilibus Goneti dictis aſſenſum præbere deberemus; jam jam univerſa & perilluſtris *Schola Jeſuitica* multis ab hinc retro annis omninò periiſſet, & tamquam hæreſim *Semipelagianorum* reviviſcere faciens, penitùs extincta jaceret & conſepulta, vel *damnationis flammis* tradita fuiſſet: quippe idem ipſe *tom.* 1. *Sui Clypei Theologici*, *diſp.* 6. *art.* 6. §. 1. Sic inquit: *Scientia media favere videtur, ac viam ſternere errori illi Semipelagianorum, quo aſſerebant, dari in nobis initia quædam fidei, & bonæ voluntatis, quæ non erant à gratia, ſed à natura.* Et rurſus §. 2. immediate ſequenti: *Scientia media etiam favere videtur, ac ſternere viam alteri errori, quo Semipelagiani aſſerebant, prædeſtinationem ad gratiam fieri ex prævisione meritorum.*

66 Cùm itaque Sapientiſsimi Patres Jeſuitæ hæc Goneti effata, ſeu axiomata nihil pendant, immò & joco vertant; potuit ab eis Duacenſis addiſcere, nec tanto pretio vendere ejuſdem Goneti dictum, quòd eo velit, poſt inſignes Doctores *Ariminenſem*, & *Vazquium*, ſimul clariſsimum Noriſii nomen lacerare. Præterea ejuſmodi dicendi modus Goneti, permiſſus eſt in Scholis, & inter Authores ſe ſe adinvicem in palæſtra litteraria digladiantes; quin & utilem ego dicerem, quippe quo *pretioſum à vili* melius ſeparatur. Et huc ſpectat illud altiſsimum documentum *prudentioris œconomiæ*, quòd nuper præſtitit Sapientiſsimus ille Præſul quem haud Duacenſis ignorat, in venerandis ſuis litteris, *numero ultimo*: quo documento ſi uti voluiſſet, atque ſcomata ac dicteria neglexiſſet, quibus calore diſputationis, & in vi conſequentiæ Theologi alterutrius Scholæ altercantur, & contrariæ ſententiæ probabilitatem elevare conantur; proculdubio aditum præcluſiſſet tot diſsidiis quibus hodie Hiſpania agitatur. Sed de hoc ſatis. Perge Proſper ulterius.

67 *Proſper*. Poſt memoratum Gonet Dominicanum, ſecundum in teſtem Duacenſis advocat *Macedum Franciſcanum.*

68 *Auguſtinus. Macedum*, & *Franciſcanum*? *Quis credat*? *Ma-*

ce-

cedum Seraphici Ordinis Theologum Patavinum, hominemque doctiſsimum, cujus alioqui doctrina, ceu galea & clypeo Noriſius protectus cuncta hoſtium ſuorum tela facilè retudit, irritaque & prorſus inutilia & inania reddidit? Tu es Theologus Duacenſis, & ignoras perilluſtris Minoritæ *Reſponſa edita adverſus Gerras Germanas, Germanitatum Cornelii Janſenii, & Henrici Noris, demùm collecta ab Annibale Riccio Veneto Sacræ Theologiæ Bacculaureo*, recens excuſa Veronæ *ann.* 1729? Vade igitur Duacenſe, & volve primum Tomum (non longiùs iturus) Operum Noriſii à folio 1398. ubi abunde invenies, nedum ex Ariminenſi hîc deſumptam ſententiam, ſed plures alias, & eas maximè, in quas veteres & velut jurati mei Noriſii Oppugnatores ceu ſcandali petram offenderunt, & tu modò offendiſti. Omnes illas, inquam, non tantùm conſonas, quin & identicas cum Macedânis reperies. Ac tunc tui ipſius oculis convincêris de hujus rei evidentia; teque ipſum pudebit, quòd doctiſsimum Macedum Franciſcanum produxeris pro te, cùm adverſum te ipſum hunc teſtem locupletiſsimum & incorruptum adduxeris. Præterea in Præfatione ad laudata *Reſponſa*, & quidem ipſo initio lege, ſi placet, quaſi prophetiam hujus tui maleferiati libelli, per hæc verba: *Præſertim cum vitiligatores dicaciſsimi nullum umquam calumniandi* (Noriſium) *finem faciant, ut vel ex ipſo tumulo, cui jam proximi jacent, accuſationem reſtauraturi videantur.* Affer alterum, Proſper.

69 *Proſper.* Sequitur *Martinon Jeſuita.*

70 *Auguſtinus.* Martinon? An forſan iſte erit alio nomine appellatus *Antoninus Moraines, vel Maraines*?

71 *Proſper.* Idem Pater, idem ipſe eſt, quippe binominus, ſic detectus, & probatus à laudato Macedo Franciſcano. Sic in Vindic.

72 *Auguſtinus.* Sat eſt teſtimonium ejus. Igitur cum ita ſit, ex nunc pro tunc, quin in ſæcula ſæculorum recuſo eum, quippe omni jure attento, haud admitti valet in judicio, cum adverſus meum Noriſium agitur, & præſertim ſuper ejus *Vindicias.* Nec exceptiones ipſum Duacenſem latent, quas modeſtiæ conſulens, & aliorum rubori parcens, potius conticendas duxi. Proſper deinceps.

73 *Proſper.* Vadam Pater: Sed priùs ego quoque ex nunc pro tunc, & coram univerſo mundo proteſtor, quòd ſi Theologus Duacenſis, vel quilibet alius ejuſdem farinulæ, hunc, vel conſimiles teſtes aliquando reproducere velit in quacumque Nori-

risii causa exceptiones modò silentio missas, palam notas faciam. Sub hac protestatione dicam, & dico. Ordine Catalogi incepti sequuntur PP. *Lessius*, & *Tannerus*.

74 *Augustinus*: Hos ultrò admittam, quippe qui optione antedicta in Scholis permissa, nullique vicissim offensiva, cum Gonet loquuti sunt, disputationis gratiâ tantùm, non exacerbationis: secus ac ipse Duacensis, qui velutisi ex infallibili Petri Cathedra loqueretur, insistit & resistit, Cardinalem Norisium tamquam Authorem damnatæ doctrinæ, esse quoque *damnationis flammis* tradendum. Cuique liberum est, cùm de meis, meorumque sententiis, quæ Catholicam Fidem non concernunt, agitur, vel eas amplecti, vel deserere: ast nemini licitum est, eas contumeliosis censuris inurere. Unusquisque in suo sensu abundet: sed à probrosis dicteriis semper abstinendum. Id christiana pietas dictat, religio præcipit. Quam ob rem meis Augustinensibus in Regula ego ipse strictim præcepi: *In incessu, statu, & habitu, & in omnibus motibus vestris nihil fiat, quod cujusquam offendat aspectum.*

75 Nullius utique aspectum, aut respectum offenderunt, quòd ad inopinatam sui Card. Norisii proscriptionem exhorrescerent; præsertim cum in Expurgatorio etiam Hispano typis edito *anno* 1707. nulla prorsus de Norisio facta fuerit mentio, ceu Authore vel minimè suspicionis: postquam ipse tot ante retro annis scripserat, typisque Patavii dederat suam *Historiam Pelagianam*, & *Dissertationem de V. Synodo OEcumenica*, insimul *Vindicias meas*, ab anno scilicet transacto 1673. & intra terminos Hispaniæ, Salmanticæ iterum eadem ipsius Scripta reimpressa sint *anno* 1702. immò Ill. Dom. tunc Inquisitori Generali dicata, quin Sacrum ipsius Supremum Fidei Tribunal quidquam despiceret, aut in eis aliquid proscriptionis dignum inveniret. Itaque in his (quæ cunctis nota sunt) nullius aspectum aut respectum offendere potuerunt Augustinenses mei: nec etiam cùm ad inopinatam sui Card. Norisii proscriptionem editam in novo Expurgatorio Hispano anni decurrentis 1748. primùm per literas supplices ter repetitas, humiles atque reverentes comparuere coram Ill. Dom. Inquisitore Generali, & Sacro atque Supremo S. Inquisitionis Tribunali, simul adjunctis variis monumentis, quibus abunde constare fecerunt incolumitatem *Historiæ Pelagianæ*, & aliorum operum Card. Norisii ab omni prorsus, vel levissimæ suspicionis labe de *Bajanismo*, aut *Jansenismo*, primo, secundo, & tertio

de-

declaratam Romæ à DD. Inquisitoribus illius Supremi etiam Tribunalis, ad quos toties fuerant delata. Igitur cujus respectum potuerunt offendere mei Augustinenses in eo quòd cùm post tot religiosa Officia nihil fuerint assecuti, & ab Hispano, reverendo, atque supremo Fidei Tribunali nedum spes minima eis affulgêret de expungendo suo Norisio ab Expurgatorio recens edito; accesserint ad universalem Ecclesiæ Patrem, & Judicem omnium Supremum Romanum Pontificem, suppliciter deprecantes, ut eos in Hispania inauditos audiret, eorumque justo dolori de proscriptione Hispana sui celebris & doctissimi Authoris, ceu pius Pater mederetur, & tamquam Supremus Judex judicium ferret?

76 Multum quidem Prosper digressus sum: ast totum pernecessarium duxi, ut injustos quorumdam clamores adversus meos Augustinenses super hujusmodi re propulsarem: Hinc ad *Lessium*, & *Tannerum* testes insuper allegatos, ultra Norisium, adversus Ariminensem, & Vazquium; post veneratum eorum sensum, facili negotio poteris ex opposito exhibere vel sexcentos Authores Arimino, & Vazquio bene intellectis, subscribentes, omni vel umbra damnationis immunibus, immò & meis assertis adhærentibus. Id vero haud loci istius est. Cum ventum fuerit ad secundam partem Responsionis, sermonem aliquanto longiorem super eo me habiturum promitto. Quid amplius Duacensis?

77 *Prosper*. Post laudatos Authores prosequitur in hunc modum: *Et alii nobilissimi Doctores de Bajanismo appellantes doctrinam Card. Noris.*

78 *Augustinus*. *Nobilissimos* dicit? Jam ante præterii, quòd Doctores *primæ notæ* dixerit; sed modò haud patienter ferre possum, quòd alioquin innominatos, *Nobilissimos* appellet. Quære ab Duacensi Prosper, primùm, qui sunt isti *Nobilissimi* utriusque Scholæ, qui post Bajum damnatum scripsere: sintne ex Thomistis Eminent. Gottus, Illustrissimus Montalban, Reverendissimus Aliaga? &c. & ex Jesuitis Eximium Suarez, acutissimum Vazquez? &c. quippe alios utrimque nobiliores non invenio. Deinde: quomodo cum ita nobiles sint in superlativo gradu; eos non memorat? quoniam quò nobiliores, tanto idcircò majoris fidei adversus Norisium futuros, necesse est.

79 *Prosper*. Primò Pater respondendo ad hæc quæ desideras, ait, nullum esse ex his ex recensitis.

Au-

80 *Augustinus.* Proh homo! at larga & munifica manu *Nobiles* facit, & *Titulos* profundit, vel homunculis infimæ & despectæ plebis!

81 *Prosper.* Quinimo Pater, ne ex istis quidem sunt: *Quia nullius entis nullæ sunt qualitates.* Tanto adversus Norisium livore exulceratus est, ut Authores etiam fingat ei adversantes, & commentitiis insignibus laudet & exornet.

82 Ergo cum ab eo ceu vana spectra *Nobilissimi* evanuerint, descendit ad alios, quos vocat *secundæ notæ*, & ita numerum septimum concludit: *Pro hac sententia* (nempe Ariminensis immediatè ante ex Gonet citata) *stat Noris, quam Lutheranam esse credit Fontaine tom.1. fol.31. num.7.*

1.2. disp. 190. Disp. 20. sect. 6. n.25.

83 *Augustinus.* Sententia Ariminensis, & ex eo Norisii, Lutherana! Quid audio! Ergo P. Vazquius *Lutheranus* est, qui eidem sententiæ accessit. Rursus P. Ripalda ipsimet subscribens, iisdem erit annumerandus? Pro! quàm strenuus P. Fontaine Sagittarius, qui uno tantùm ictu post Ariminensem, & Norisium, duos adeò robustissimos Scholæ Jesuiticæ Viros & Theologos præstantissimos simul confodit! Sed tamen posteà omnes quatuor consurgent, ipsi alioquin demonstraturi, quòd tantùm aerem verberarit, quò minùs eos tetigerit.

Num.8.

84 *Prosper.* Prosequitur Duacensis, in palæstram insuper vocans adversus Norisium RR. Navarro Benedictinæ Familiæ sapientissimum Alumnum, & Salmantinæ Universitatis Doctorem & Cathedrarium meritissimum, qui super Constitutione *Unigenitus* hæc profert: *Hæc est tota ratio, & summa doctrinæ Cardinalis Noris, & etiam, si ingenuè loquendum est, summa errorum Quenelli.*

85 *Augustinus.* Benè Duacensis attendere potuit, nonnisi cum conditione dixisse: *Si ingenuè loquendum est*, nec quidquam aliud Virum aliàs modestissimum condeceret; cum juxta meum Ambrosium Calepinum in suo *Dictionario*: *Ingenuè fateri* hanc quoque significationem, ultra superiùs sæpè datas, admittat, *quasi libere, & audacter fateri.*

86 Hinc forsan accidit, quòd ad aures meas post Anthitheses Duacensis editas pervenit, nempè quosdam loquaces homines, meritissimum & religiosissimum Benedictinum non capientes, ultrò citroque vocitasse, specie quidem honoris, sed reapse non parvi dedecoris, *Cardinalem Norisium non scripturum quæ scripsit, si Quenello supervixisset.* Equidem hęc hominum cognitio de even-

eventu conditionato Norisii haud regulata est per *Scientiam me-*
diam ; quippe hæc vera , certa , & infallibilis à suis Patronis
astruitur. Ast de Norisio concepta , prorsus falsa , temeraria,
immò & impia est in tantum virum. Et quod ad *virtutes Infi-*
delium præsertim attinet (postea 2. Part. latè dicturus , cùm tem-
pus se opportunum obtulerit , & rem devoluerit , cujus altis-
simo judicio commissa est.) Quæ , inquam , conventio Norisii
ex me ponentis laudabiles in Infidelibus virtutes , exemplo cùm
veterum Romanorum , tum *Assueri* Regis Persarum , tùm *Pole-*
monis casti & pudici , cum Quenello nullas prorsus in eis ag-
noscente virtutes , quin potiùs Bajum secutus , omnes eorum
actus vitio verterit ? Porrò hîc silentium profundum , donec
super his & aliis loquatur , quo meliùs nemo est locuturus , &
vos filioli mei , ipsum audiatis. Prosper , ad alia.

87 Verumtamen interim vellem , mihi dicerent ejusmodi
homines ita adversus Norisium subdolè & assentatoriè garrien-
tes , si vel Theologiam salutarunt , quænam differentia insit
inter 101. propositiones in Quenello damnatas , & 79. in Ba-
jo , & 5. in Jansenio prædamnatas ? Reapse , vel , ut Scholas-
tici dicunt , *substantialiter* , ferè nulla : quippe Quenellus , SS.
Clemente XI. testante in sua Const. *Unigenitus* , ut infra vide-
bitur , tantùm innovator surrexit earum. Ergo cum Norisius
quę scripsit , scripserit ad prospectum 84. propositionum in Ba-
jo , & Jansenio , primùm à SS. PP. Pio V. Gregor. XIII. &
Innoc. X. respective proscriptas : quoad substantiam perinde est
ac si præsentes habuisset illas 101. posteà in Quenello à Clemen-
te XI. damnatas.

88 Ex quo aliter & validius. S. Officii Romani Consulto-
res , simul atque octo doctissimi atque gravissimi Theologi à
Beatis. D. Innocentio XII. rursus vocati ad exactiorem censu-
ram operis Norisiani , cum illud recenserent , consequens est
necessarium , singulos eos ob oculos habuisse omnes 84. pro-
positiones in Bajo , & Jansenio prædamnatas. Scripta quippe
Norisiana sub hac impacta censura Jansenismi , & Bajanismi
fuerant in specie denunciata : Atqui ex post habita intentiore
& accuratiore cognitione dictarum propositionum in Bajo , &
Jansenio prædamnatarum , nihil cum eis convenire senserunt
& judicarunt : Ergo præjudicasse necesse fit , nullam etiam af-
finitatem habere cum Quenellianis reapse & substantialiter cum
eisdem Bajanis & Jansenianis. Deinceps Prosper.

Pros-

89 *Prosper.* Hoc eodem numero 7. Duacensis subjungit: *Et quoniam Mag. Manso Augustinianus prodiit Norisium vindicaturus, illius liber à Supremæ Inquisitionis Hispanæ Senatu proscriptus fuit.*

90 *Augustinus. Quoniam?* Hæc particula causalis est. Unde quasi dicere est: causa quare Supremæ Inquisitionis Hispanæ Senatus librum Mansii proscripsit, est, vel fuit, quia in eo Mansius prodiit Norisium vindicaturus. Hoc verò asserere, potius est offendere summam integritatem in judicando Supremæ Inquisitionis Hispanæ Senatus: qui vellet aliquem, vel aliquos libros proscribere, quia tantùm consonos aliis de ejus consensu probatis, & acceptis, prout tunc vigebant scripta Norisiana, quin potius, ut supra dictum est, dicata Illustrissimo Domino Inquisitori Generali ea tempestate Moderatori & Præsidi ejusdem Supremi Senatus. Quæ ejus æquitas, si res ita gererentur in illo æquissimo Senatu? Crediderim potiùs, quod aliquorum consilium & conatus tunc fuit, simul cum Mansio proscriptum iri Norisium. Ast doctus & instructus ille supremus & integerrimus Senatus, tùm iteratis approbationibus Inquisitionis Romanę, tùm rursus tot Sapientissimorum Theologorum Salmantinorum, qui eis accessere, ut opera Norisiana possent in publicam lucem prodire: meliùs atque consultius duxit, nihil super illis innovandum.

91 Et quod ad Mag. Mansum spectat, haud Duacensis ignorat, Librum ab eo exaratum de *Virtutibus Infidelium*, inoffenso pede, nemineque reluctante, per omnium manus decurrere: quin amplius dicatum fuisse SS. Dom. nost. Innocentio XIII. ipsique haud visum ingratum, & cunctis omnibus Theologis Romanis extitisse placidum, & doctum.

92 *Prosper.* Nondum, Pater, Duacensis numerum 7. terminavit, quippe ita subdit: *Nec mirum, cum opus fuit ipsi Norisio, ex quo in lucem vindicias Augustinianas profudit, quatuor Tractatus fundere, quibus se ab impugnatoribus protegeret: quo satis ostenditur, quàm pluribus infensæ à primo lumine extitere Vindiciæ.*

93 *Augustinus.* Eo ipso palam evincitur quæ & quanta fuerit Norisii persecutio, quæ duravit decennio, simulque hominis sapientia & eruditio maxima: quippe perinde erat, hostes ejus in ipsum aliquod impugnationis telum injicere, ac integrum Tractatum adversus eos Norisium retorquere. Hoc potius os-

ostenditur, quàm defensæ à primo lumine *Vindiciæ* ejus extitere: quippe quæ tot infensis Oppugnatoribus devictis tandem prævaluere. Dic Prosper.

94 *Prosper.* Prosequitur Duacensis ad numer. 8. sub hac forma: *Sed quia retulit Quenellus Cardinalis doctrinam post trinam denunciationem, incolumem à censura extitisse: id minimè sive Norisio, sive Quenello seruit.* N. 8. Sed quia.

95 *Augustinus.* Iterum homo redit post tot superius inflicta petulantiæ suæ vulnera RR. alias DD. Inquisitoribus Romanis ea rursus refricare, vociferare denuo, audens trinas ab eis datas approbationes, & sententias, & has in judicio contradictorio (quo nihil majoris & tenacioris contradictionis vix invenietur) super in columitate ab omni prorsus censura Theologica doctrinæ Norisianæ: quasi nihili velit pendendas, quippe omnes illa *minimè Norisio servire* ait! Id autem toleratur à Supremo Hispaniæ gravissimo Fidei Senatu, cui causa alioquin communis est; & cui simul statutum & constitutum est Catholicam Fidem incolumem servare, simul & honorem, & nomen severioris & circunspectioris modi procedendi in actis & rebus ad eam spectantibus custodire! Quid ad hæc Refractarii dicent? cum videant homuncionem illum decreta & statuta RR. Tribunalis Inquisitionis Romanæ sic despicientem, adeò ut effutire audeat, *id minimè servire*, & ad nihil servire, proindeque iisdem statutis non esse standum? Ex quo proculdubio sequeretur; *minimè servire*, nec standum esse statuto Romanæ Inquisitionis, quo Propositiones Quesnelli fuerunt proscriptæ. Hæc sunt absurda, in quæ prolapsus est iste qui Theologi nomen sibi falsò arrogat. Perge ulterius Prosper.

96 *Prosper.* Prosequitur Duacensis sua innectens convitia: *Quidni prudentissimi Censores & Judices illa tempestate, qua nondum Quenellismi mysteria & erroris velamina erant penitus denudata, censuram suspenderent, quousque nova accederent lumina?*

97 *Augustinus.* Non est cur ita falsò asseveret, prudentissimos Censores, & Romanos Inquisitores judicium suspendisse super scripta Norisiana; immò certo certius (velut Urbi & Orbi notum est) peremptoriam quasi sententiam tulisse post primam, secundam, & tertiam denunciationem coram illis peractam. Neque ut eam lucidius darent, & toties ferrent, opus habuere denudatis postea erroribus Quenellianis: quippe hi errores (ipso Duacensi consentiente, & Norisium præcipue Janse-

ſeniſmi inſimulante, & Libellum ſuum ſic inſcribente: *Theſes Noriſianæ, in quibus damnata Janſenii, & Novatorum dogmata &c.*) hi, inquam, errores iidem in ſpecie ſunt, juxta calumniam Duacenſis, cum Bajanis, & Janſenianis multò ante prædamnatis, Beatiſ. D.N. Clemente XI. in Conſtitut. ſua *Unigenitus* ajente: *Varias hæreſes, & potiſsimum illas, quæ in famoſis Janſenii propoſitionibus, & quidem in eo ſenſu, in quo hæ damnatæ fuerunt, acceptis, continentur, manifeſtè innovantes &c.* Et equidem, ut ſuprà dictum manet, Ill. DD. Inquiſitores Romani, & ejuſdem S. Officii Theologi Cenſores, cenſendi ſunt, cœcutiiſſe in meridie, eò quòd præ oculis habuerunt, cum Scripta Noriſiana recenſerent, errores in Janſenio priùs damnatos; & maximè cùm ipſimet Noriſii denuntiatores eum accuſarent tamquam eorum innovatorem. At Duacenſis paſſim pervicacior vult, & contendit, quòd horum omnium penitus inſcii, & Andabatarum more, ſeu potius craſſæ ignorantiæ, & affectati ſtudii erga Noriſium obtenebrati proceſſerunt. Agedum Proſper.

Num.9. 98 *Proſper.* Poſt hæc eodem numero Duacenſis ſubjungit: *Notum omnibus eſt novum Quenelli Teſtamentum, & ejuſdem Reflexiones Morales ſæpius delatas fuiſſe: Anno 1694. jam ſupra 200. propoſitiones acri cenſura dignæ præ manibus Theologorum circumferebantur: Num illicò, pluribus etiam repetitis denunciationibus, proſcriptæ fuere? Immò à pluribus Catholicis innoxiæ habebantur, tandem à SS. Clem. XI. confixæ. Quis ambigit plures è Molinianis Articulis, Zelatorum ſtimulis, ut damnarentur non obſtantibus, diu vixiſſe Romæ incolumes, & tamquam ſanæ myſticæ proles à pluribus exiſtimatas fuiſſe?*

99 *Proſper.* Pater, homo iſte moleſtus ſupra modum eſt. Compendiò dicam. In hoc *num.* 10. nihil novi affert, niſi iterata exempla, ad ea quæ ſuperius dixerat perperam roboranda. Nam quid ad rem facit, quod *Teſtamentum Quenelli, & ejuſdem Reflexiones Morales &c.* non ſtatim proſcriptæ fuerint, & cætera quæ ibi uſque ad nauſeam de *Molinos* inculcat? Numquid eo ipſo quod Noriſii doctrina ad Supremum Romanæ Inquiſitionis Senatum toties delata fuerit, propterea cenſenda erit erronea? Immò verò ſana, vera, & catholica cenſenda eſt, poſtquam idem S. Inquiſitionis Romanæ Senatus toties cenſuit, tot delationes non fuiſſe niſi mera commenta malevolorum hominum, qui Noriſii nomini, doctrinæ, & honori invidentes, illum totis conatibus Janſeniſtam, & Bajanum, facere nitebantur. *Quæ igitur participatio juſti-*

titiæ cum iniquitate? aut quæ ſocietas luci ad tenebras? Itaque ab his quæ ad rem non faciunt ſuperſedeo. 2. Corint. 6.

100 *Auguſtinus.* Perbellè facis Proſper. Et quoad ea quæ ex ipſo dixiſti numeri 9. priora ipſius fateor, quippe conſuetæ Hæterodoxorum verſutiæ communia: aſt mirabor, & pluries mirabor, quod poſt tot lynceos oculos, quales eorum fuerunt qui Noriſianas Theſes viſuri & reviſuri erant, & poſt tot recenſita earum examina, nihil invenerunt cenſurâ dignum, ſoli Duacenſi clarius lumen reſervatum divinitus fuerit, quo multa in eis detegeret.

101 *Proſper.* Nobis hucuſque non conſtat, quo lumine proſpiciat Duacenſis: certum tamen eſt (ut probatum manet) quòd ſupra Deos in Cœlo Eccleſiæ conſtitutos ſeipſum exiſtimat ſapientiorem, & luculentioris luminis munere adornatum.

102 Concludit denique *num.* 11. & ultimo, præfatione quidem quaſi honoris erga Noriſium, revera tamen ut ſimulatius eum deturpet, & ad calcem, quaſi venenatus ſcorpio, acumine caudæ metuendus, eum veneno ſuo inficiat & perimat. En ejus verba: *Aderat tunc temporis Romæ Card. Noris Vir ſublimi ſapientiæ nomine conſpicuus: ob egregias animi dotes pergratus: ipſe ſui Interpres & defenſor, eloquentia & dexteritate in vertendis & evolvendis Theologiæ Scholaſticæ terminis veteranus. In Romana Curia, & ſæculi, & literarum Proceres, optimoſque Antiſtites, atque Purpuratos ſibi faventes proſpiciebat: intenderit fortaſſe Quenellus, quod Noriſiana dogmata proſcriberentur, dum ipſius fraudes nondum erant prorſus detectæ, nec ejus propoſitiones caſtigatæ? Incolumis evaſit doctrina Noriſiana, fateor,* SI ID TANTUM DENOTET, QUOD PLENIORE LUCE INDIGEBAT, UT JANSENISTIS ET CALVINIANIS ADHÆRESCENS PLENE CONVINCERETUR.

103 *Auguſtinus.* Adhuc in ipſo elogio, quod de Noriſio profert proculdubio fallitur. Quippe minime credibile eſt, quòd pauper Fraterculus meæ Eremitanæ Religionis, prout ea tempeſtate Henricus de Noris erat, necdum vel infima in Ordine Prælaturâ perfunctus, tot haberet, aut proſpiceret optimos Antiſtites, atque Purpuratos ſibi faventes & addictos. Miſſo pro nunc, quod his Duacenſis more ſuo ſolito haud obſcurè innuit, DD. Inquiſitores Romanos, & Theologos Cenſores potiùs partium ſtudio, atque perſonæ acceptione abreptos, judicium tuliſſe perverſum, cum doctrinam Noriſii approbarunt. Deinde ad id ſubjungit, nempe quod Noris meus tunc temporis Vir erat *ſublimi ſapientiæ*, non tantùm *nomine*, verum etiam reipſa *conſpicuus, ob egregias animi dotes* (velit nolit Duacenſis) *per gratus &c.* Hæc, inquam, omnia luce ſunt clariora: quandoquidem ob tot &

tan-

tanta hominis merita dignus inventus eſt quòd eum fel. mem. Innoc. XII. è humili Cuculla meæ Eremiticæ Familiæ, eveheret ad Sacram Purpuram, & velut alter Joſeph in Ægypto, poſt tot exantlatos labores, & perſecutiones devictas, Preſes conſtitueretur, tùm à laudato Innocentio, tùm à Clemente XI. ejus ſucceſſore plurium Congregationum Emin. Cardinalium ſuper rebus difficillimis magnique momenti, inſpectâ magna hujus viri eruditione in omni Artium & Scientiarum genere.

104 Tandem quod in fine addit de Noriſiana doctrina; nempe quòd *pleniore luce indigebat, ut plenè convinceretur* de eo quod *Janſeniſtis & Calvinianis adhæreſceret*, nihil moror: hujuſmodi enim morſus minimè nocent S. Inquiſitionis Romanę incorruptæ integritati, neque immortali mei Noriſii memoriæ; *quoniam apud Deum nota eſt & apud homines*, tandemque *in memoria æterna erit juſtus*. Hîc igitur finiamus hanc primam diſcuſsionem, uſque dum per tempus opportunum alteram aggredi liceat.

105 *Proſper.* Tu modò Duacenſis poſt hanc primam partem, para te in ſecunda promeritam quoque ab Auguſtino ſubire vindictam tuis ab ſubdolis truncationibus Noriſianæ doctrinæ per te corruptæ, & imperitè intellectæ.

Quod ſi modò eam ſimul non ſubis, eò eſt, quia cum materiam doctrinalem concernat, & hæc aliàs meliori, quinimò ſupremo judicio ſit commiſſa, haud congruum viſum eſt plus te cordatis Viris, ſuper ea ſermonem inſtituere: quippe ſupremum judicium foret nimia prorſus petulantia prævenire: quo alioquin vitio nuſquam tu abſtergêris, qui ita audacter & effrænatè loqui prodiiſti. VALE.

NIhilominus veniâ tantæ Dominationis quæ ſupereminet omnibus, liceat mihi, ne ſaltem hiſce feſtivis diebus Natalitiis Chriſti Domini appropinquantibus, doctrina Noriſii olim Purpurata, ſic ſordida atque pannoſa incedat, ceù tu more furentis eam deturpaſti: liceat, inquam, vel qualecumque tibi exhibere ſignum telæ atque texturæ, qua circumamicta ſuo opportuno tempore videbitur. Pro quo à tuis præmiſis exordior.

SE-

SECUNDA PARS.
AUGUSTINUS
NORISIANÆ
DOCTRINÆ VINDEX FALSIS
ab imposturis & pannosis involucris quibus Henricus Duacensis Theologus eam deturpavit.

§. I.

DUACENSIS PRÆMISSA recensentur, & castigantur.

Num. 1. PRosper. Post tot maledicta adversus Norisium (ò Magne Parens) prosequitur Duacensis in suis doctrinis ex Vindiciis tuis excerptis Norisium exhibere, nedum affinem, sed & unum & eundem cum Quenello, Jansenio, Calvino, & Luthero prædamnatis. Et velut Operis Prologum sic §. 2. inscribit: *Errores inter se pugnantes præmittuntur.* Et primò in corpore supponit, & ex mente tua, ait adversus Pelagium: *quod iste Hæresiarcha absolutè negavit omnem gratiam supernaturalem internam, tàm actualem, quàm habitualem &c.*

2 *Augustinus.* Falsò supponit, immo mentis meæ haud æquus interpres. Quippe variis in libris meis legere potuit, Pelagium tandem ex me agitatum utramque gratiam posuisse, licèt semper, prout homo versipellis, errore obtectam. Et primùm quoad gratiam supernaturalem actualem & internam, libro meo *de Gestis ejusdem Pelagii cap.* 14. Ubi de eo ita dixi: *Nunc vero cum anathematizasset eos* (in Concilio subaudi Palęstino, sive Diospolitano) *qui gratiam Dei & adjutorium non ad singulos actus dari: satis evidenter apparet, eam illum dicere gratiam, quæ in Christi Ecclesia prædicatur, quæ subministratione sancti Spiritus datur, ut ad nostros actus singulos adjuvemur.* Et quidem gratia quæ in Christi

ti

ti Ecclesia prædicatur, quæque subministratione sancti Spiritus datur, ut homo in suis singulis actibus salutaribus adjuvetur, gratia est actualis supernaturalis & interna.

3 Bene verò quod postea idem Pelagius deprehensus est, hujusmodi internam gratiam tantùm requisisse ad *facilius*, non ad *simpliciter* operari actus salutares, & in hoc fuit ejus error. Patet ex libro meo *de Hæres. ad Quodvultdeum*, *cap.* 88. ubi ita reposui: *Increpatum* (Pelagium) *à fatribus quod nil adjutorio gratiæ tribueret, correctioni horum hactenùs cessisse, dicendo: gratiam dari hominibus, ut quæ per liberum jubentur facere arbitrium, facilius possent implere per gratiam: illam vero gratiam, sine qua nihil omnino possumus, non esse nisi in libero arbitrio, quod Deus adjuaret per suam legem atque doctrinam.* Et libro de Gratia Christi, cap. 26. *Non quomodo iste* (Pelagius) *qui cum dicit, propterea dari gratiam, ut quod à Deo præcipitur, facilius impleatur: quid de illa sentiat, satis ostendit, scilicet, quod etiam sine illa, etsi minus facile, fieri tamen quod divinitus præcipitur, potest.*

4 Rursus falsò Duacensis homo supponit ex me, quod Pelagius absolute negarit gratiam habitualem & sanctificantem, qui *lib.* 1. *contra Julianum*, *cap.* 6. Pelagianos introduxi ex Homilia quam S. Joannes Constantinopolitanus, postea *Chrysostomus* dictus, de Baptizatis habuit, sic ajentes: *Non enim sunt tantùm liberi, sed & Sancti: non tantùm sancti, sed & justi: non solum justi, sed & filii: non solum filii, sed & hæredes: non solum hæredes, sed & fratres Christi: nec tantum fratres Christi, sed & cohæredes: non solum cohæredes, sed & membra: non tantum membra, sed & templum: non tantum templum, sed & organa Spiritus.* Et quidem verba hęc non tantùm sunt imputationis extrinsecæ justitiæ per Christum & ex Christo, uti recentes Novatores posuerunt, sed reapse renovationis interioris animæ, quæ per gratiam habitualem & sanctificantem ex *Tridentino* habetur. Quod insuper eodem libro paulò infra firmatos dixi, cùm de infantibus sic sunt loquuti: *Hac de causa etiam infantes baptizamus, cum non sint coinquinati peccato, ut eis addatur sanctitas, justitia, adoptio, hæreditas, fraternitas Christi &c.* Quæ alia gratia, nisi habitualis & sanctificans hæc operatur? Ast errarunt, quia hanc gratiam posuerunt meritis præcisè naturæ adquisibilem.

5 *Prosper.* Si homo ita falsò incipit supponere: quæ erunt ejus consequentia? Ergo eodem *numero* 1. prosequitur differentiam assignando erroris Semipelagianorum à Pelagianis, ponentium,

tium, consummationem nostræ salutis ex gratia esse, sed vero initium ex nobis: *Quatenus Deus ad conferendum nobis primam gratiam, expectabat nostri liberi arbitrii usum naturalem per modum meriti, aut dispositionis meritoriæ; adeoque asserebant, primam gratiam nobis dari intuitu meriti naturalis.*

6 *Augustinus.* Et bene quoad hoc dicit, si dicta referat ad initium suæ hæresis: si vero ad ejus prosecutionem, constat ex Epist. ad me missa à *Prospero Aquitanico, num.* 4. aliquando tandem admisisse gratiam in aliquo sensu prævenientem, sed quæ subderetur hominum voluntati: *Neque considerant* (verba sunt Prosperi laudati) *gratiam Dei, quam comitem, non præviam humanorum volunt esse meritorum, etiam illis voluntatibus subdere, quas ab ea secundum suam phantasiam non negant esse præventas.* Quò Concilium Arausicanum II. intendens, ita ex Authoritate Sedis Apostolicæ *cap.* 4. definivit: *Siquis, ut à peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per sancti Spiritus infusionem, & operationem in nobis fieri confitetur: resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: Præparatur voluntas à Domino, & Apostolo salubriter prædicanti: Deus est qui operatur in vobis & velle & perficere pro bona voluntate.*

7 *Prosper.* Numero 2. Duacensis exponit Baii, Jansenii, Quenelli, Calvini, & Lutheri damnata dogmata, ponentium scilicet liberum arbitrium ita ex Adæ primo peccato extinctum, & inerme remansisse, ut intellectus, & humana voluntas, sine adjutorio gratiæ, *Nihil habere luminis nisi ad aberrandum, virium nisi ad se vulnerandum* (ex Quenello *Prop.* 39.) Quod confirmat Jansenius (lib. 4. de Stat. Nat. Lap. cap. 18.) dicens: *In peccato ita periit libertas arbitrii, ut ante gratiam propriè dictam non sit liberum à peccato abstinere.* Num.2.

8 *Augustinus.* Ita sanè: sed vero horum non obliviscatur, postea forsan redarguendus. Interea Prosper ei reponito laudatum *Concilium Arausicanum, cap.* 22. dicens: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Quo proinde tenetur nobiscum, simul Concilio obsequi, & Quenelli errorem anathematizare.

9 *Prosper.* Mitto Pater quæ eodem num. 2. adjicit, quippe omnium Catholicorum DD. consensu accepta. *Num.* itaque 3. fatetur, voluntatem humanam ex Adæ peccato corruptam esse, & imbellem relictam; sed non adeò, ut viribus naturæ, & sine speciali gratiæ auxilio non valeat aliquod moraliter bonum operari. Num.3.

Augus-

10 *Augustinus.* An sine speciali auxilio ordinis superni fieri posse contendat,necne,non inficiar ; quin ultrò admittam : ast non sine speciali auxilio ordinis saltem naturæ. Et tunc insuper distinguam : posse fieri ab humana voluntate *potentia antecedenti*, vel *in sensu diviso*, ut terminis loquar in Scholis sat usitatis : at non *potentia consequente ,sive in sensu composito.* Sed de hoc postea.

11 *Prosper.* Si forsan Duacensis hos terminos non intelligis, vade eos capturus ad P. *Arsdekin tom. 2.* suæ *Theol. Tripart. P.2. tract. ult.* Interea ad institutum meum. Numero itaque 4.

Num.4. subjungit : *Si hæc ita non sint , oportet dicere : hominem per peccatum originale nativum lumen , & omnem rationalem appetitum perdidisse,& in brutum conversum &c.*

12 *Augustinus.* Ne timeat , quòd quando non omnia sint sicut ipse statuit , imago quam Deus posuit in homine , & servavit post peccatum originale , sit deturpanda ; quinimò pulchrior reddenda est. Et quomodo non reddetur ad lineamenta gratiæ?

13 *Prosper.* Et quidem Pater , homo iste est suspiciosissimus : perinde est necessitatem gratiæ audire , ac statim præsumere de totali exitio liberi arbitrii.Istud suus *Adonis* est,& sua charissima amasia. Igitur sic prosequitur suum numerum 4. *Nihilominus Novatores cum Jansenio , contra communem PP. & Theologorum consensum , acriter negant homini lapso facultatem ad actus moraliter bonos intra limites naturæ eliciendos.*

14 *Augustinus.* Perverse negant ; sed error est consequens extinctionem liberi arbitrii positam à suo Jansenio ex primo peccato, qui proinde negavit in eo ejusmodi facultatem ad actus moraliter bonos ; & ejus loco substituit gratiam , quæ *potentiam* ipsi daret *antecedentem* , & ex parte *actus primi* ad illos : immò quæ ineluctabiliter raperet humanam voluntatem ad eorum exercitium. Non ei Duacensis credat , bene verò sine periculo potest credere AA. nedum exteris , sed & domesticis (de quibus infrà) exigentibus ad debitam eorum operationem , donum gratiæ specialis intra limites naturæ , quod det humanę voluntati *potentiam consequentem* , sive,quod idem est , applicationem & determinationem ad exercitium actus.

15 *Prosper.* Amice Duacensis, quòd Norisium de tantis noxis criminaturus Authores Scholæ diversæ (aliis forsan deditus) non evolueres , hoc nimiæ tuæ confidentiæ posset attribui : sed quòd vel tuos familiares & domesticos non consulas; hoc negligentiæ est irremissibilis.

Au-

16 *Augustinus.* Dic plus Prosper: Quod cum audierit ex me *gratiam intra limites naturæ*, non illicò, ut assolet, scandalizetur, immò si sacris est initiatus, Breviarium tantùm sumat, ibique in *communi Dedicationis Ecclesiæ* 1. *Lect. ad* 3. *Noct.* audiet D. Ambrosium de Zachæo dicentem: *Et quia non Prophetas, non legem habebat, tamquam formæ gratiam naturalis, ascendit &c.*

17 *Prosper.* Jam Pater monitum feci: ast nec idcircò de ejus emendatione sponsionem faciam. Quoad est instituti mei, eodem numero 4. ita queribundus subdit de Novatoribus cum Jansenio, quòd *sive dolo inscitiam affectantes, sive imperitè confundentes actum moraliter bonum ordinis naturæ, cum salutari merito, Pelagianismi incusant sententiam nostram, non obstante iterato Ecclesiæ fulmine adversus Bajum asserentem Art.* 37. *cum Pelagio sentit, qui boni aliquid naturalis, hoc est, quod ex solis naturæ viribus ortum ducit, agnoscit.*

18 *Augustinus.* Male confundunt, & multò pejus eam Pelagianismi incusant, quantum ad hoc quod in eo damnata sit: ideoque præcise ejusmodi propositio uti *Scandalosa* in Bajo proscripta est, ex P. *Vazquez* 1. 2. *disp.* 190. *cap.* 18. rem aliàs confirmante locupletissimo testimonio Card. Francisci Toleti, qui in causa ejusdem Baii Lovanium ab Apostolica Sede Delegatus fuit. Ex quo insuper testatur, præjactam Baii censuram, non vero assertum esse ab Apostolica Sede damnatum.

19 *Prosper.* Numero 5. ita Duacensis ait: *Fide certum est contra Pelagium & Massilienses, non posse hominem lapsum absque divinæ gratiæ auxilio, & solis naturæ viribus, velle facere, aut cogitare quidquam ad vitam æternam positive conducens. Sine me nihil potestis facere, Jan.* 15. *Non quod sufficientes simus cogitare aliquid à nobis* 2. *Corinth.* 3. *&c.* Et quoad *Massilienses* attinet, nescio quid ex te paulò ante audivi numero 6. Num. 5.

20 *Augustinus.* Videat ipse, & ex testimonio *Prosperi* mei *Aquitanici*, qui testis interfuit oculatus, quippe qui cum eis multo tempore conversatus fuit. Sed verò quoad errores utrorumque ego magna pars fui, ut ab Ecclesia proscriberentur, ideoque integra ferè capitula ex libris meis desumpsit, suisque Scriniis Ecclesiasticis inseruit. Textus autem quos ex Joanne & Paulo adducit, diminutè applicat: & si mihi credere non vult, vadat ad P. Vazquez, forte ipsi majoris, velut domesticum, ponderis, cujus potiùs honori, quàm mei ipsius experimento ipso consulit, *Disp.* (inquam) 190. citata, *cap.*4. ibique ipsum inveniet,

niet, textus laudatos extendentem ad opera etiam naturalia moraliter bona & honeſta. Quin ab eodem caſtigabitur ſui præcipitis modi dicendi *numero 6.* dum SS. Patres ore ita pleno enun-
Num.6. tiat, qui forſan pauculos vidit: ni velit nomine SS. Patrum ſibi vendicare Authores particulares ſui Inſtituti & opinionis, qui aliàs nonniſi eorum diſcipulatu gloriati ſunt ſemper. Et verò omnes SS Patres, & ego inter eos non minoris notæ, non meis meritis, ſed gratiâ Dei, qui me ſegregavit, ut ejus gratiam in Eccleſia prædicarem, omnes (inquam) *gratiam* in ſpecie & intrinſecè *ſupernaturalem* exigunt ad facienda opera ad æternam ſalutem conducentia, vel *ſicut oportet.* Poſt hoc autem fide ſtatutum, ſupereſt locus liberè in Scholis diſputandi, ſitne etiam neceſſaria *gratia ordinis naturæ*, vel etiam *Providentiæ ſupernaturalis* (prout placuit P. Ripaldæ) ad opera moraliter tantùm honeſta, & ſolùm conducentia ad præmium temporale?

21 *Proſper.* Vade Duacenſis, & concoque, ſi potes, hanc S. Patris mei objurgationem, qui ſic *abſolutè* Theologaſtri inſipientis more loqueris.

22 *Auguſtinus.* Tace Proſper: quia rurſus prælibare oportet, ut ex nunc quorumdam ordinarium effugium præcludam, quod nempe concertatio mea cum *Juliano* Pelagianorum acerrimo, non tantùm fuit de Virtutibus hominis fructuoſis, & conducentibus ad præmium æternæ ſalutis; ſed inſuper de infructuoſis, & ſterilibus Gentilium. Id manifeſtè patet *libro* meo 4. *contra eumdem Julianum cap.* 3. ubi ſic ipſi reſcripſi: *Soletis enim negantes Dei dona eſſe virtutes, quibus rectè vivitur, & eas naturæ, voluntatique humanæ, non gratiæ Dei tribuentes, hoc uti argumento, quod eas nonnumquam habeant Infideles &c.* Immò ibidem conſtat, quòd idem Julianus ultrò, & ſine ulla ferè contentione, quoad virtutes ſteriles & infructuoſas ſpectat, eas poſuit in Infidelibus. *Tibi* (ipſi ego reſcripſi) *Virtutes ſine fide ſic placent, ut eas veras prædices; & rurſus, quaſi te pœnituerit laudis earum, STERILES pronuntiare non dubites.* Et rurſus: *Aut certè, quoniam ſaltem concedis opera infidelium, quæ tibi eorum videntur bona, non tamen eos ad SALUTEM SEMPITERNAM, regnumque perducere.* Quare noſtra reciproca concertatio præcipuè devoluta eſt; Eſſetne etiam neceſſaria Dei gratia pro veris Infidelium virtutibus, licèt alioquin ſterilibus ad fructum vitæ æternæ? Hoc itaque prælibato: Scribe Proſper.

§.II.

§. II.

RESPONDET PARAGRAPHO III. *Duacensis Libelli.*

23 PRosper. Hîc Pater, si tibi lubet, præmittere oportet instructiorem sensum, quo P. Ripalda integro Tomo suo 3. contra Bajum, & inde contra Jansenium, Quenellum &c. loquutus est, ut homo iste, ceu alter *Goliath* proprio suo gladio decapitatus intereat.

24 *Augustinus*. Libet utique.

25 *Prosper*. Ergo P. Ripalda dicto *tom.3. disp. 13. sect. 3. num.15.* meliùs quàm hic Duacensis Theologus (vel nomen ipsum offendit) instructus, ita ait: Bajus adeò imbecillam & „ infirmam profitetur naturam humanam ad observantiam Le- „ gis naturalis, & quævis opera moraliter bona post peccatum, „ ut nec *sufficientiam*, nec *potestatem antecedentem* naturali ho- „ minis libertati absque auxilio gratiæ relinquat: ideoque gra- „ tiam ad quodvis bonum opus morale *necessitate antecedenti*, „ & non solùm *consequenti* desideret, ut in progressu videbitur. „ Scholastici DD. ejusmodi gratiam auxiliantem ad obedien- „ tiam Legis naturalis, & virtutum naturalium opera, *necessi-* „ *tate solùm consequenti, ad efficaciam, & non ad sufficientiam* „ *agendi desiderant: potestatem antecedentem, & sufficientiam li-* „ *bertatis naturalis propriam, solis naturæ viribus*, & auxiliis de- „ bitis, *absque gratia per Christum, naturæ etiam lapsæ adscri-* „ *bentes, ut ingenuè fatentur Principes ejus sententiæ patroni.* „ *Ideò Pontifices absque præjudicio communis Scholasticorum sen-* „ *tentiæ de necessitate consequenti gratiæ ad bona opera moralia,* „ damnare potuerunt *doctrinam Baii de necessitate antecedenti,* „ *&c.*

26 *Augustinus*. Et equidem Prosper, sat essent hæc verba, alioquin ex suo *Sodalitio* mutuata, queis Duacensis oppilaret os suum. Nihilominus potius ad aliorum instructionem, dic quæ hoc §.3. reponit.

27 *Prosper*. Sic Numerum 1. incipit: *Neutiquam placet doctrina hucusque inducta Cardinali Norisio* (& quomodo cum Norisii esset ei placeret umquam? qui actus suorum detexit, & ausus semper infregit) *qui tamquam immobile Augustini dogma* Num. 1. *Neutiquam.*

sta-

ſtatuere conatur, in Infidelibus nullas virtutes morales reperiri: immò ipſamet virtutum exercitia eſſe vera peccata, ſi ſolius arbitrii viribus eliciantur.

Vindic. Aug. *cap*.3. §.4.

28 *Auguſtinus.* Quî? Habemus etiam hîc adverſus Noriſium, quod ſuper hac eadem quæſtione unus ex eis, & ſub conficta, ſicut Duacenſis, appellatione adverſus me inſultavit, *abreptum ſcilicet æſtu diſputationis in contrarium veritati extremum declinaſſe*, ita Noriſio meo accidiſſe ferventi mei devotione ducto? Diſtingue itaque, homo, tria in Noriſio. Primùm: in Infidelibus multa reperiri opera, quæ ſi eorum honeſtas, & virtutis officium inſpiciatur (*ſubſtantiam operis* ait hîc ipſemet Noriſius Scholaſticos vocare) habent decus laudis, neque ratione operis appellari debent peccata (prout alias Bajus ſuo capitali errore cæcutiens poſuit: nempe, quod cuncta opera ab homine facta ſine gratia ſanctificante, & per inhabitantem Spiritum Sanctum obtenta, ſunt peccata; ideoque meritò proſcriptus *prop.* 35. *&* 38.) Quod ergo Noriſius ex oppoſito dixit, & quidem immobile eſt mei ipſius dogma, qui *lib. de Spirit. & lit. cap.* 27. dixi: *Etiam impiorum, neque Deum verum veraciter pieque colentium quædam facta vel legimus, vel novimus, vel audivimus, quæ ſecundùm juſtitiæ regulam non ſolùm vituperare non poſſumus, verùm etiam meritò recteque laudamus &c.* Quin etiam *cap.* proximo 28. rationem hujus dedi: *Quia non uſque adeò in anima humana imago Dei terrenorum affectuum labe detrita eſt, ut nulla in ea velut lineamenta remanſerint, unde meritò dici poſsit, etiam in ipſa impietate vitæ ſuæ facere aliqua legis, vel ſapere.*

29 Huic Noriſius concinit in *Vindiciis* meis *cap*.3. §.4. ita dicens: *Siquis* (*Infidelis*) *continentiæ propoſitum eliciat motus honeſtate tantùm operis, neque in eodem apud ſe, neque apud alios gloriatus: tunc ille actus::: ex nulla parte vitioſus apparet. Hæc doctrina admitti poteſt*: & proſequitur dando rationem ex meis nuper dictis. Rurſus eodem loco quaſi prævidens Duacenſis argutationem ex propoſitione in Bajo damnata, *Omnia opera Infidelium &c.* reponit: *Sed hac cenſura S. Patris* (mei ſcilicet) *ſententia neutiquam percellitur: etenim hic palam concedit in Infidelibus aliqua opera bona in prima ſaltem ſui productione &c.*

30 Hic ergo Duacenſis, hic ſubſiſtamus pauliſper: unum tantùm opus moraliter bonum quod ponatur in hoc vel illo Infideli, in prima vel ſecunda ſui productione (id poſtea ex ver-

verbis ejus percipies, etsi nimis rudis sis) sat est falsificare propositionem Baii, *Omnia opera Infidelium &c.* Sicut & tuam (illi extortè aliàs impositam, quippe quę ita absolutè prolata in eo non invenitur, neque in impressione *Patavina*, neque *Veronensi*, quia utraque apud me est: nempe, *in Infidelibus nullæ virtutes reperiuntur.*) Nam cum Bajana sit universalis *affirmativa*, & tua universalis *negativa*: illa falsificatur per veritatem particularis *negativæ*, & tua per veritatem particularis *affirmativæ*. Atqui juxta Norisium, aliquod opus reperitur in Infideli, quod in prima saltem sui productione non sit peccatum, immò potius moraliter bonum, & virtuosum: Ergo falsò ei attribuis quòd dixerit, *Omnia opera Infidelium esse peccata, & nullas in eis virtutes reperiri.*

31 Secundò: Norisius astruit, quòd ad rationem virtutis non tantùm attendi debet honestas operis, sed insuper finis operantis: immò hic primùm, prout egomet docui *lib. 4. contra Julianum cap. 3. Noveris itaque* (dixi) *non officiis, sed finibus à vitiis discernendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est: finis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, propter quod facere debet, peccare convincitur.* Id exemplo constat cuique obvio facientis eleemosynam ducti ex inani gloriâ, ut videatur, & laudetur ab hominibus: actus ex officio, sive quoad substantiam, bonus est, ast ex fine vitiosus.

32 Hàc ex me doctrinâ instructus Norisius, immò omnibus Theologis acceptâ, transit tamquam ad indagandum finem, propter quem Infideles faciunt opera aliàs ex officio & secundùm substantiam bona, & laudabilia; & inquit: *Ut plurimùm* (expressio ipsius est hoc *cap. 3. §. 4.*) in eis vitiari ex fine vel *philautiæ*, vel *vanæ gloriæ*, sive *superbiæ*. Quod & ego dixi subjungens verbis meis suprà positis ex *cap. 27. de Spirit. & lit. Quamqaam si discutiantur quo fine fiant* (ab Infidelibus) *vix inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem, defensionemve mereantur.* Et ratio à priori est, quia cum Infideles Fide careant præscribente,
„ *non de operibus bonis in nobis gloriandum, sed in Deo*: insuper
„ *quòd ea non faciamus, ut laudem vel gloriam ab hominibus cap-*
„ *temus*: & alioquin inveniantur, sicut & nos, cùm Fideles
„ simus, vel frequenter abstracti & illecti à concupiscentia
„ sua, inclinante ad amorem sui, laudem & honorem ab aliis:
hinc concludit mecum, quòd *raro in eis reperientur opera bona*

un-

undequaque perfecta ; quin vitio *ut plurimum* claudicent vel philautiæ, vel inanis gloriæ.

33 Sed ad rem (Duacense.) Qui hoc dicit *ut plurimum*, vel plerumque in infidelibus contingere, eo ipso fateri convincitur, quòd aliquando in eis reperiatur unum aut alterum opus sine ullo ex dictis vitio, quin potius factum ex operis ipsius honestate, vel ob alium rectum finem. At hic Norisius est eodem ipso *capite*, atque §. quo illum insimulas: sequitur ergo quod non nisi falsò & prorsus extortè cum eo facias. Scribe itaque tuæ levitatis emendatus & correptus: *In infidelibus*, non *nullæ* (ut supplantasti) sed *ut plurimum virtutes non reperiuntur*. Hæc Norisii est propositio, immò & mea. Sed mentis jam oculos aperi, & vide quàm longe distet ab hac in Bajo damnata: *Omnia opera infidelium sunt peccata, & virtutes vitia.*

34 Considerans ergo Norisius, quod in Infidelibus elatâ suâ voluntate præoccupatis, ad exercitium bonorum operum casus in philautiam, vel superbiam est moraliter loquendo irreparabilis; ponit tertiò, & astruit, quod ut reparetur in eis, opus habent auxilio gratiæ specialis (præcisivè ab eo quod hæc gratia dicenda sit Providentiæ Dei naturalis, vel supernaturalis, hujus decisione relictà probabilitati Scholarum.) Et hæc ipsius tertia positio fuit olim quoque mea, agens cum Juliano, cui æquè atque Duacensis contendenti pro virtutibus Infidelium (nec in hoc fuit ipsius error) *lib.* 4. *cap.* 3. rescripsi: *Quanto ergo tolerabilius illas, quas dicis in impiis esse virtutes, DIVINO MUNERI, quàm eorum tamtummodo tribueres voluntati?* Quin etiam idem Norisius addit etiam ex me, ita in multis eorum casum in philautiam vel superbiam fuisse de facto reparatum beneficio gratiæ, ut in Rege *Assuero*, de quo dixi meo *libro* 1. *ad Bonifatium*, *cap.* 20. *Cor Regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset OCCULTISSIMA ET EFFICACISSIMA POTESTATE convertit & transtulit ab indignatione ad lenitatem, hoc est, de voluntate lædendi ad voluntatem favendi.* Rursus *Epist.* 130. continentiam Polemonis Philosophi divinę gratiæ deputandam scripsi: *Tamen ne idipsum quidem, quod melius in eo* (Polemone) *factum est humano operi tribuerim, sed DIVINO.* Videat insuper Duacensis & ejus asseclæ, & convincantur hisce exemplis, quàm prorsus ineptè me interpretentur, dum asserunt, semper atque me legunt,

Vid. etiam de Grat. Chr. cap. 24.

non

non nisi effugii causâ, donum gratiæ requirere adversus *Pelagianos* pro elicientia quorumcumque bonorum operum; mentem meam extortè contrahendo ad *sola opera conducentia ad æternam salutem*: uti supra palam feci dictis, etiam ipsis surdis audibilibus. Super utroque itaque genere operum fuit concertatio mea cum eis, illis partes liberi arbitrii gratiâ destituti tuentibus: ego autem easdem liberi arbitrii partes agens, sed gratià adjuti. Neque insuper in ea fui unquam *æstu disputationis abreptus*, ut aliquid vel minimum proferrem, quod veritati non concineret, prout nonnullus eorum dixit; sed mente sanâ & integrâ, quam mihi Deus ipse injecit.

35 Quinimo non satis miror, quomodo hæc mea & Norisii doctrina sic Duacensi displiceat, cùm domi alias habeat tum P. Vazquez requirentem pro bonis operibus Infidelium, ut veræ virtutes dicantur, gratiam Dei specialem, licèt ordinis tantùm naturæ, sed tamen ipsis collatam per Christum, & ex Christi Salvatoris meritis? Tùm insuper P. Ripaldam eam plus requirentem Providentiæ Dei supernaturalis; immò de *Ente Supern. disp. 20. sect. 6. num. 25.* hæc proferentem: *Rectè dicitur, voluntatem in hoc ordine providentiæ destitutam auxilio gratiæ, suisque viribus relictam, solum posse superbiam & peccatum.* „ Et rursus ex me laudato ibidem repe-
„ tentem: *Liberum arbitrium desertum à divino adjutorio, qua-*
„ *libet scientia legis excellat, nullo modo habet justitiæ solidita-*
„ *tem, sed inflationem impiæ superbiæ.* Si justitiæ soliditatem
„ non habet sibi soli relictum: ergo nec laudabilitatem veræ
„ virtutis in operando. Si nisi inflationem impiæ superbiæ: er-
„ go neque honestatem in agendo. Sic dixit qui melius Duacense instructus in vera Theologia, Sacri Concilii Arausicani II. verba transcripsit *capit. 22.* dicentis: *Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.* Igitur unum è duobus: vel Norisius cum hæreticis aberravit ponendo pro veris Infidelium virtutibus undequaque laudabilibus necessitatem gratiæ, vel non? Si primo insistas: Repone Prosper sic ideam, sed ò quam invitè! dicam verò: *Vos coegistis me.*

PP. Vazquez & Ripalda.

Liberum arbitrium gratia destitutum, & solis suis viribus relictum, solùm potest superbiam & peccatum.

Liberum arbitrium desertum à divino adjutorio, nullo modo habet justitiæ soliditatem, sed inflationem impiæ superbiæ.

Concilium Arausicanum II.

Nemo habet de suo nisi mendacium & peccatum.

Quenellus.

Sine gratia nihil amare possumus, nisi ad nostram condemnationem. *Prop.* 40.

Idem.

Voluntas quam gratia non prævenit::: est capax omnis mali, & incapax ad omne bonum. *Prop.* 39.

Id ipsum aliis quatordecim propositionibus confirmat.

Lutherus.

Liberum arbitrium ante gratiam nihil valet, nisi ad peccatum.

Bajus.

Liberum arbitrium sine gratiæ Dei adjutorio, non nisi ad peccandum valet. *Art.* 27.

Idem.

Pelagianus est error dicere, quod liberum arbitrium valet ad ullum peccatum vitandum. *Art.* 28.

Jansenius.

Liberum arbitrium ante gratiam non solùm non potest universam legem moralis honestatis implere, sed nec unum opus ejus::: & in omni actu, quo sibi videtur vel legem observare, vel transgredi reus est alicujus peccati. *Tom.* 2. *de Stat. Nat. Lapf. cap.* 18.

Jansenius.

In peccato periit libertas arbitrii, ut ante gratiam propriè dictam, non sit liberum à peccato abstinere. *Lib.* 4. *de Stat. Nat. Lapf. cap.* 18.

Idem.

Viribus naturæ peccatum sine peccato non vitatur, nec lex ulla servatur *Tom.* 2. *de Stat. Nat. Lapf. lib.* 3. *cap.* 20.

Calvinus.

Ut natura conditi sumus, citius ex lapide oleum, quàm ex nobis opus bonum exprimatur. *Lib.* 3. *Instit. cap.* 14.

Calvinus.

Constituimus ergo extra dubium, quæ vel summo splendore perspicua sunt, opera in hominibus nondum justificatis tam procul abesse à justitia coram Deo, ut peccata censeantur. *Ibidem, cap.* 4. §. 8.

Prof-

36 *Prosper.* Cum hæc Pater ita sint, sine me ut confestim vadam denunciare dictos PP. Vazquium & Ripaldam (immò & Sacrum ipsum Concilium Arausicanum II.) quoniam puritas nostræ S. Fidei super omnia; & maximè in mea Hispania, ubi nulli parcitur, quandoquidem dogmata alibi, etiam Romæ sæpè probata, in ea solent reiici. Vadam igitur & denunciabo dictos PP. quin & ab eo qui propria manu subscripsit petam ut eos recenti Expurgatorio ingerat tomo 2. sub *Catalogo Authorum Jansenistarum*: scripserit eos, vel non scripserit *Lecolonie* in sua Anonyma Bibliotheca Janseniana.

37 *Augustinus.* Sed age Prosper. Res est adhuc exactioris censuræ atque trutinæ; & quin hæc præcedat diligentissimè facta per Theologos omnium ferè Ordinum expertos & doctos, sanæ intentionis, & à partium studio immunes, minimùm quòd doctrina ulla in eo æquissimo Tribunali proscribatur, & Author ipsius Expurgatorio ingeratur. Nihil ergo superest, nisi quòd Duacensis Theologus accedat, seque ipsum contempletur in speculo appositi exemplaris, quod simillimum est ejusdem, quod suâ caliganti nebulosaque phantasia commentus est; quâ, cùm Norisium meum inurere excogitavit, simul inustos involuit doctissimos & catholicissimos PP. Vazquium, & Ripaldam, immò (quod est deterius) *Sacrum, Sanctumque Concilium II. Arausicanum.*

38 Si igitur (tecum loquor Duacensis) quivis vel unius tantùm diei Theologaster videns & aspiciens ejusmodi ex me appositam propositionum germanitatem prorsus disparatam risum tenere non poterit: non mireris, quòd de te ipso risum faciant quamplurimi viri docti & cordati, magnisque cachinis excipiant ipsam tuam imaginem, quam in libello tuo adversus Norisium depinxisti. Quid? Cunctos tamquam inscios & indoctos puerulos terrificare somniasti? Apage cum tuis ineptiis.

39 *Prosper.* Ast Pater, ut ego existimo Duacensis animus plus intrinsecùs livore tabescit adversus Norisium, vel hoc solo nomine, quòd Vindex tuus prodiit: & modò ut jure an injuriâ Norisii *Opera*, & præsertim tui ipsius ejusdemque *Vindiciæ* in æternum, & in sæculum sæculi proscriptæ maneant, atque ex orbe literario profligantur, susquedeque habebit quòd supra memorati Societatis Jesu Theologi, aliique quamplurimi proscriberentur.

Au-

40 *Augustinus.* Ipse viderit. Ego autem de meipso testimonium coram Deo perhibebo, quod si aliquando adversus homines notoriè hæreticos scribens, sum aliquantulum stomachatus, tabescere me fecit zelus pro Ecclesia Sancta Dei Apostolica Romana, servandi scilicet ejus doctrinam semper puram & ab omni prorsus labe hæresos defœcatam, quam ob causam haud renui memet castigare, libros meos anteactos corrigendo, siquid in eis emendationis dignum deprehendi, quin aliqua quæ inveni, illicò retractavi, ut patet in lib. *Retractationum* mearum. Quod si post hæc nonnulli Recentiores Theologi tot in Norisio meo mihi per omnia adhærente, reperetunt iterata correctione digna: laudo quidem & laudabo eorum oculos plus meis lynceos & aquilinos, sed attamen caveant, ne forsan sint lippiores.

41 Dele itaque Prosper quamcitiùs umbraticam tantùm imaginem, quam supra ab isto homine coactus exhibui. Patres Vazquez, & Ripalda (mitto Sanctum atque venerandum Concilium Arausicanum) Theologi sunt sanissimæ doctrinæ, neque jota uno convenientis cum erroribus hæreticorum germanitatis: vitium tantummodo est inscitiæ Duacensis eos non intelligentis. Quinimò pro mei Norisii defensione non plus indigeo, quàm doctrinà P. Ripaldæ abs dubio Theologi maturi & experti, non tantùm Authoribus domesticis, sed etiam alienæ Scholæ dediti, suprà in ipso limine responsionis apposita.

42 Distinguat itaque Duacensis, si docilis vult fieri, in libero arbitrio quoad operum bonorum elicientiam *actum primum, & secundum.* Rursus *potentiam antecedentem, & consequentem.* Item: *Sufficientiam, & efficaciam.* Primùm, nempe *actualitas virtutis, potentia antecedens, & sufficientia* ad ea agenda & operanda, salva consistit in humana voluntate quantumvis infideli, etiam post peccatum originis, neque ex eo fuit deperdita, & extincta, sicut erroneè posuerunt Jansenius, Quesnellus, Bajus, Calvinus, & Lutherus aliàs ab eo in suo phantastico spectro lateraliter asignati. Qui omnes proinde gratiam requisierunt dantem humanę voluntati virtutem, potentiam, facultatem, & sufficientiam *ex parte actus primi*, quam alioquin perdidisse asserebant ad omne bonum ex demerito primi peccati, & sine qua sibi soli relicta erat omnino impotens tàm antecedenter, quàm consequenter ullum actum bonum etiam

na-

naturale, moraliterque honeſtum elicere. Sub hoc præciſo conceptu intelligere ipſemet debet Quenellum, cùm dixit ſuo §. anteced. num. 2. humanum intellectum & voluntatem ſine adjutorio gratiæ *nihil habere luminis niſi ad aberrandum &c.* de adjutorio præciſe requiſito ex parte actus primi, & dante *poſſe ſimpliciter* elicere actum moraliter bonum: alioquin ſimul cum eo volet eſſe damnatum Concilium Arauſicanum II. dicens ubi ſupra: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium & peccatum.*

42 Noriſius autem cum pluribus Theologis, & non infimæ notæ, ad differentiam ejuſmodi Novatorum, ſuppoſita in humana voluntate etiam infideli actualitate virtutis & facultatis ad operationem actûs moraliter boni & honeſti, velut ipſi ingenita, & licèt per peccatum originale aliquanto vulnerata, ſed tamen non plenè detrita, gratiam requirit tantummodo ex parte actus ſecundi, ut ſcilicet ipſius adjutorio devictà concupiſcentià inclinante in philautiam, inanem gloriam &c. voluntas practicè & exercitè prorumpat in actum undequaque bonum, laudabilem, atque perfectum, tàm ex parte ſubſtantiæ, & finis ipſius actûs, quàm ex parte finis & intentionis ipſum agentis, prout alioquin neceſſario requiritur ad rationem veræ virtutis, & non tantum civilis. Hæc Duacenſis, ni contendat, univerſam atque clariſsimam Thomiſtarum Scholam damnatam iri, velit nolit, patienter ferat neceſſe eſt.

43 Rurſus: *gratia* quam dicti Sectatores requiſierunt ad quodvis bonum eliciendum, quin vitio declinaret, gratia erat habitualis in charitate infuſa conſiſtens, & cordibus diffuſſa per inhabitantem Spiritum ſanctum in nobis (prout paſſim legitur apud Authores: neque enim ego originalia eorum vidi, quippe utpote per Eccleſiam proſcripta non habeo: quin ſi haberem, vellem impendere decem aut duodecim argenteos, quot mihi ſtaret facultas ea legendi.) Et ita alioqui deducitur ex propoſitione 38. in Bajo damnata: *Omnis amor creaturæ rationalis, aut vitioſa eſt cupiditas, qua mundus diligitur: aut laudabilis illa charitas qua per Spiritum ſanctum in corde diffuſſa Deus amatur.* Unde cum infideles hac gratia careant: hinc inferebant, nullas in eis poſſe eſſe virtutes, ſed omnes eorum actus vitio vertendos. At prorſus longe Noriſius, præſertim ex Ariminenſi gratiam tantùm in eis requirit actualem, & ordinis naturæ, ut opera eorum evadant undequaque bona, atque moraliter honeſta.

44 *Prosper.* Igitur, Duacensis, quod superest, te resipiscere oportet, cum firmo ex nunc proposito de cætero numquam ita insipienter agendi cum ullo alio, sicut cum Norisio egisti: consequenterque cum tempus & locum habeas, Norisio satisfacias; alioquin nusquam ritè absolvendus. Et cum illum scripto læseris, scriptóquoque teneris te retractare. Scribe itaque, tibique manum ducam, ceu olim meus Augustinus Carthagine fecit cum Felice Manichæo, veram confessionem facturo, in hunc modum, verum atque genuinum.

Verus Noris.

Opera quæ infideles faciunt viribus solius arbitrii sine gratia dante præcisè efficaciam operationis, sive, quod idem valet, potentiam consequentem, quin antecedentem præstet ipsi aliàs ingenitam, nec ex peccato detritam, ut plurimùm sunt peccata.

Siquis actum virtutis frequentet sine speciali auxilio Dei, non potest, potentiâ tantùm consequente, benè verò antecedente sibi ingenitâ, & nusquam plenè ex peccato detritâ, ut plurimum à vitio temperare.

Vel aliter. *Noris.*

Opera quæ infideles faciunt viribus solius arbitrii sine gratia *actuali* dante præcisè efficaciam operationis, non virtutem ad illam, ut plurimum sunt peccata.

Siquis actum virtutis etiam naturalem frequentet, sine speciali auxilio Dei actuali, dante potentiam tantùm consequentem, non potest ut plurimum à vitio temperare vel philautiæ, vel inanis gloriæ.

Jansenius.

Liberum arbitrium ante gratiam dantem illi potentiam nedum consequentem, sed insuper antecedentem, non solùm non potest universam legem moralis honestatis implere: sed neque unum opus ejus::: & in omni actu, quo sibi videtur vel legem observare, vel transgredi, reus est alicujus peccati.

Quenellus.

Sine gratia nihil amare possumus neque potentia consequente, neque antecedente ex peccato extinctâ, nisi ad nostram condemnationem.

Jansenius.

Liberum arbitrium ante *gratiam habitualem & charitatem infusam per inhabitantem Spiritum sanctum in nobis* (hanc appellavit propositione sequenti gratiam propriè dictam) non potest universam legem moralis honestatis implere; sed neque unum opus ejus &c.

Sub

Sub hac forma veræ atque genuinæ confessionis Norisianæ, prosequere ingeminando Sectatores tuæ scalæ, in qua nusquam verum Norisium invenies, sed potius temet dignum ob tuas subdolas adversus eum imposturas, quod in ea suspendereris.

45 *Augustinus*. Verè quidem Prosper es loquutus, velut qui pretiosum à vili separare sapit. Quinimmò quoad secundam propositionem, quam in Norisio is homo accusat (quod non faceret, si deprehenderet) repone, eam non tantùm probare de infidelibus hominibus, sed etiam de fidelibus atque Christianis. Quis enim (expertus sit an inexpertus, forsan ut ipse) ambigere potest, quòd quò pluribus donis aliquis invenitur atque virtutibus præditus & ornatus, opus habeat auxilio gratiæ, ne in philautiam, vel inanem gloriam labatur? Hìc casus Luciferi: hinc ruina Adæ: ob hoc tot viri velut rationales Cedri in altissimo Libano sanctitatis collocati, visi sunt postmodum miserabiliter cecidisse. Huc Norisius collineavit cum dixit: *Siquis actum virtutis frequentet &c.* quod & probavit hoc eodem *cap. col.* 937. eleganti sanè ratione, quin etiam moraliter certa, ex me deducta *lib.* 4. *contra Julianum, cap.* 3. ubi dixi: *Nihil. est in creaturis, quod attinet ad institutarum divinitus merita naturarum, rationali mente præstantius: unde fit consequens, ut mens bona magis sibi placeat, magisque se ipsa delectet, quàm qualibet alia creatura. Quàm vero periculosè, immò perniciosè sibi placeat, cum per hoc tumescit typho, & morbo inflationis extollitur &c.*

46 ,, Huic Norisius consonus subdidit, ubi supra: *Quilibet ,, homo amore naturali diligit se, & quò plura bona in se conspi- ,, cit, plus sibi complacet; unde præ aliis se æstimat, & phi- ,, lautia intumescit, ac veluti Narcissus suamet pulchritudine rapitur.* Si aliud Duacensis de se cogitat, reponam ei quod olim cuidam Pelagiano reposui *Serm.* 13. & etiam Norisius hìc ex me transcripsit: *Tu te vis agere: à te ipso vis agi ad actiones carnis mortificandas? Quid tibi prodest, quia non eris Epicureus, & eris Stoicus.* Si forsan Duacensis non ignorat Sistemata *Epicureorum*, & *Stoicorum*, me capiet; sin minus, in aerem verba feci.

47 Intelligat itaque homo gravem Norisii sententiam, ut in posterum non carpat, nec eam rursus trahat in argumentum potius infidelium, quam fidelium. Ad frequentationem virtutis & ejus intentum studium fit, quod homo plura in se

bo-

bona conſpiciat : hæc enim ſine ſtudio & exercitio non habentur : ad intuitum ejuſmodi in ſe bonorum , titillat philautia , ſuperbia allicit : ergo in periculo eſt , & prout homo eſt ſe ſe naturaliter amans , ni gratiâ juvetur divinâ , ruendi in philautiam , vel ſuperbiam , & ut verbis Noriſii loquar , alterum *Narciſſum* ſe fingendi. Hac de cauſa *Fratres* meos in Regula cautos ſemper volui à vitio irrepentis ſuperbiæ , cùm dixi : *Superbia etiam bonis operibus inſidiatur , ut pereant.* Si igitur iſte inſidiator occultus clauſtra etiam religioſa pervadit , ut opus ſit continuò orare Deum : *Et ne nos inferas in tentationem*: quanto magis cenſendum eſt , inſidias ſuas tendere per lata atque ſpatioſa Gentilitatis prata , ubi eorum incolæ vivunt , ſi vita dici poteſt , idolis mancipati , avaritiæ , luxuriæ , & inani hujus mundi gloriæ ut plurimùm ancillantes ? Credat ergo Duacenſis, quòd Noriſii ſententia , itemque mea , quidquid de ſpeculatione ſit , at practicè longè probabilior eſt , & iteratis experimentis non ſine dolore ſæpiùs comprobata.

48 *Proſper*. Ita Pater , ideoque in Hiſpania noſtra adagium majorum ſemper invaluit , liceat mihi illud patriâ linguâ proferre : *Del dicho al hecho ay un gran trecho.* Ego autem in omni eventu gratiæ Dei me potiùs commendo : namque frequenter Prophetam Domini dicentem audio : *Bonum eſt confidere in Domino , quam confidere in homine.*

49 Sed verò proſequens lectionem Duacenſis libelli , poſt erutam arrogantiæ ſuæ incomptam potiùs declarationem , quàm minimam Noriſii læſionem , ſatis patet ex dictis , ejus unius tarditati atque inertiæ ignoratis , qui Authores ſuos domeſticos nec vel tranſcurſim legit (propter quod non plus ipſi deſerviunt , quàm ſi cui arma domui eſſent viſui tantùm , non uſui , vel ut Hiſpanicè loquimur , *como la eſcopeta colgada de un clavo*) ſatis , inquam , patet ex dictis , Patre Ripalda rem ut ſupra confirmante , quòd Noriſius non poſuit in operante viribus ſolius liberi arbitrii impotentiam abſolutam , & antecedentem ad actus à vitio immunes , qualem poſuerunt Lutherus, Calvinus , Bajus , Janſenius , & Quenellus , qui catenatim tracti , ſibi falsò atque erroneè perſuaſere de omnimodâ extinctione liberi arbitrii poſt originale peccatum , ex quo , ut quidam eorum dixit , liberum hominis arbitrium manſit tamquam *Titulus ſine re.* Quinimò Noriſius ex oppoſito ſartam tectam ſervavit , etiam poſt peccatum, in humano arbitrio poten-

tentiam antecedentem & abſolutam ad actus naturaliter bonos & honeſtos, cum ſola neceſsitate gratiæ ſpecialis ex parte potentiæ conſequentis, utque liberum arbitrium ex eodem peccato ſauciatum, gratia Dei ſimul effectrice atque ſanatrice, practicè eliceret ejuſmodi actus undequaque bonos, ſine vitio philautiæ, ſuperbiæ, aut inanis gloriæ, quo alioquin vitio infideles pariter atque fideles frequenter tentamur in eliciencia bonorum operum.

50 Igitur poſt clariorem inſcitiæ ſuæ expreſsionem, ita *num.* 2. proſequitur: *Apertius loquitur* (Noriſius) cap. 4. §. 5. col. 1009. *Opera quæ infideles faciunt ſemper ſunt peccata, niſi ubi Deus aliquando quoſdam bonos, ipſis neſcientibus in eorum voluntatibus operatur.* Num. 2.

51 *Auguſtinus.* Et bene hinc quid? Homo, prius ſtude *Baii* errorem comprehendere, & non ita oſcitanter Noriſium cum eo involvas. *Bajus* ſibi falsò perſuaſit, quòd nemo ſine gratia habituali & charitate infuſâ poterat vitare peccatum: ideoque conſequenter erravit, ponendo, quòd tàm infideles, quàm fideles impii & peccatores, tamquam ejuſmodi gratiâ deſtituti quidquid etiam apparenter boni agebant, reipſa peccatum erat. Sic conſtat *propp.* 35. 38. 40. Gratiam hujus ſpeciei neutiquam requiſivit umquam Noriſius, ſed tantùm actualem, vel ex Ariminenſi, conſiſtentem in ſolo concurſu Dei ſpeciali intra ordinem naturæ: vel ſi mavis, quippe qui quoad hoc laudavit PP. Vazquez, & Ripaldam, juxta illum conſiſtentem in congruis colluſtrationibus intellectûs, & piis voluntatis affectionibus: & juxta Ripaldam in concurſu Providentiæ Dei etiam ſupernaturalis. Elige quamcumque volueris: cum hac gratia actuali adjuta voluntas hominis infidelis, aliàs potens ex virtute ſibi ingenita, facit opera bona & moraliter honeſta, quæ nihil peccati habeant. Sic tibi ſuprà variis experimentis dictum: ergo falſificatur propoſitio univerſalis *Baii*: *Omnia opera infidelium &c.* Diſtingue itaque homo *damnata* ab in Scholis probabilibus.

52 *Proſper.* Superaddit Pater accuſando in Noriſio limitationis impertinentis ly *Ipſis neſcientibus*; & ſuper hoc format grande myſterium.

53 *Auguſtinus.* Pluſquam importunus & ineptus detegitur ipſe. Si Noriſius loquitur de hominibus infidelibus, qui ſunt ſubjectum quæſtionis, & verum Deum iſti non agnoſcunt: quo-

quomodo vult, nisi crassimè, quod manum sciant à qua ipsis gratia descendit, quà bona operantur? *Occultissima potestate*, ego ipse dixi suprà, movisse Deum cor Regis Assueri de indignatione ad lenitatem. Rursus *Juliano lib.4. cap.3.* reposui: *Quantò tolerabiliùs illas quas dicis in impiis esse virtutes, divino muneri potiùs, quàm eorum tantummodo tribueres voluntati, licèt IPSI HOC NESCIANT &c.* Et verò rogarem à Theologo Duacensi: num Tobias tàm citò scivit & cognovit Angelum, qui illum duxit, & reduxit è Civitate Medorum, & à quo tot bona accepit in itinere? Rursus, Div. Petrus Angelum scivit & agnovit, qui illum è carcere eduxit, nisi donec exierunt portam ferream? Vel Deus qui *idem Dominus est Judæi, & Græci*, forsan ligatus est dona sua tantùm fidelibus conferre qui eum agnoscunt, & non infidelibus illum nescientibus & ignorantibus? Homo noli desipere.

54 *Prosper.* Sed expecta Pater, tantò magis desipit subjuncta ipsius probatione: *Quia cum actus* (inquit) *quos Deus operatur in infidelibus ipsis nescientibus non sint actus liberi arbitrii, nihil enim volitum quin præcognitum &c.*

55 *Augustinus.* Et bene dixisti Prosper, plus in hoc desipere; quippe probat, nullos in nobis etiam esse actus liberos bonos & salutares, quoniam Deus eos in nobis operatur per suam gratiam *prævenientem* & *adjuvantem*, atque intrò in secretiore animæ sinu. Et multoties opus est gratiâ *Discretionis spirituum*, ut sciat ipsemet qui operatur, à Deo agi & moveri. Expergiscere homo: Opera bona infidelium actus sunt *eliciti* ab ipsis, insuper *liberi*, quia cum cognitione & deliberatione ab eisdem conformiter ad ingenitam honestatis regulam facti. Sed Deus qui eos inchoat, voluntates eorum movendo beneficio gratiæ: quin ipsi eos ita moventem intus sciant & cognoscant,
Act.17.28. utpote Fide ejus destituti. *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus: sicut & quidam vestrorum Poetarum dixerunt: Ipsius enim & genus sumus:* Verba fuere aurea maximi omnium Theologi, & Doctoris Gentium à Deo prælecti Div. Pauli, quas proindè longè meliùs Duacense percalluit, earumque interiores motus ex *MOTORE Supremo* comprehendit, & Spiritus Sanctus ad nostram doctrinam exaravit, ne in vanum nos ipsi tamquam Fideles gloriemur, quòd alioqui *Infideles* velimus penitùs deseruisse: cùm omnium sit *Pater luminum, à quo desursum est omne donum perfectum &c.*

Pros-

56 *Prosper.* Prosequitur ultra, Pater, arguendo Norisium, quod immeritò tibi adscripsit hæc duo : Primum : *Nullas in Infidelibus esse virtutes ex solis liberi arbitrii viribus.* Alterum : *Si quæ in eis fuerint , easdem numquam ipsorum voluntati , sed divinæ gratiæ esse adscribendas. An hic intendat* (Norisius) *ita removere voluntatis influxum in bonis operibus , ut Lutheranismum foveat, non disputo.*

57 *Augustinus.* Quid es disputaturus (homo arrogantissime) nisi ut me (quem alioqui palam carpere non audes , sed clàm in persona Norisii sat subdolè , velut canis rabidus mordes :) quid , inquam , nisi ut memet Lutheranismi fautorem facias ? qui ut ex antedictis constat , Juliano Pelagiano (ast non quoad hoc damnato , pluries repetam ✱) rescripsi & dixi: *Quanto tolerabilius eas quas dicis in impiis esse virtutes , DIVINO MUNERI , quàm eorum tantummodò tribueres voluntati ?* Qui rursus addidi, ubi sup. *Quamquam si discutiantur* (bona opera Infidelium) *quo fine fiant , VIX inveniuntur quæ justitiæ debitam laudem , defensionemve mereantur ?* Quid ad hæc hujus hominis loquacissimi Ecclesia Sancta Dei , de qua semper tam benemeritus?

Quòd scilicet poneret in infidelibus virtutes meritorias tantùm *præmii temporalis.*

58 Eja homo fac velis intelligere , ut melius mecum , & cum Norisio agas. Hic , prout supra visum est hoc eodem *cap. 3.* §.4. ultroneus admittit , posse reperiri in aliquo infideli virtutem *continentiæ* , qui eam eligat motus tantùm & ductus ex honestate ipsius operis , quin de eo nec apud se , neque apud alios glorietur. Rursus *ibid.* mecum , & ex me idem Norisius posuit in infidelibus aliqua bona opera facta in prima sui productione , id est , cum Infidelis ea faciens aliò vocatus , nec sibi de eis complacet , neque pro eis laudem & inanem gloriam aliorum quærit ; sed sistit tamquam in fine , in ipsorum operum honestate. Tandem hunc §. 4. concludens , post citatam Gasparis mei Casalii Lusitani , & Episcopi Leirenensis , *lib. 1. de Quadripartita justitia* per plura capita , tenentis aliàs : *Extra cognitionem veri Dei non reperiri aliquam veram virtutem* : Sic Norisius subjungit : *Sed non adeo rigorose de operibus infidelium S. Doctor* (nempe ego Augustinus) *loquutus est : nam aliquos quandoque virtutum actus eosdem elicere , palam concessit , ut ex dictis satis apparet.* Hoc Norisii testamentum , hæc postrema ejus voluntas , qua §. istum de *Virtutibus infidelium* complevit.

59 Unde certo certius constat , ejusmodi ipsius propositio-

tionem: *Nullas in infidelibus esse virtutes ex solis liberi arbitrii viribus*, non esse sumendam de mente ejus in rigorosa & *dialectica universalitate*, sed tantùm *morali*, ex his scilicet quæ regulariter & frequentius contingunt. Quemadmodum Theologi Moralistæ dicere solent, hoc aut illud vitium capitale, v. g. *Superbiæ* ex genere suo esse peccatum mortale, ex *D. Thom.* 1. 2. *q.*84. *art.*5. licèt aliàs ex eodem S. Doctore quandoque in individuo non excedat veniale. Hac de causa Norisius quasi prævidens pravam atque extortam Duacensis intelligentiam, consultò usus est adverbio *Ut plurimùm*, quod utique in omni bona grammatica non significat universalitatem *dialecticam*, sed solummodo *moralem*. Et ego sum usus altero adverbio *Vix* in hac eadem quæstione de *Virtutibus infidelium*. Sed qui dicit *ut plurimùm*, aut *vix*, sive *raro*, hoc ipso fatetur, aliquandò oppositum posse contingere.

60 Possunt utique infideles facere, & faciunt aliqua opera bona, si eorum honestas, & virtutis officium inspiciatur: at majori ex parte vitio intrinsecùs philautiæ, aut superbiæ laborare solent, adeò ut virtutis tesserâ insigniri non mereantur. Quod si nonnulla eliciunt undequaque bona & honesta, donum est Dei eos intùs gratiâ suâ moventis, & adjuvantis, ne à recto fine devient. Hæc Norisii sententia, cùm addidit: *Si quæ in eis virtutes fuerint, easdem numquam ipsorum voluntati, sed divinæ gratiæ esse adscribendas.* Idem sensus meus (quin extortam & solitam Duacensis interpretationem admittat de virtutibus salutaribus, & meritoriis vitæ æternæ, cum sermo sit de infidelibus, & *sine fide impossibile sit placere Deo* ad ejusmodi finem & premium) cùm Juliano, ut supra dixi, rescripserim: *Quanto tolerabilius eas quas dicis in impiis esse virtutes, DIVINO MUNERI, quàm eorum tantummodo tribueres voluntati?* Si id asserere, error est in Norisio, primò meus extitit. Si ob illum reus est *Jansenismi*, *Quenellismi &c.* ego cum illo particeps sum. Si hac de causa inventus est dignus, quòd Expurgatorio Hispano ingereretur sub Catalogo Novatorum Jansenistarum: me simùl cum eo ingerendum superest quòd satagas, & consuetis tibi actibus procures. Sicque ex te novitatum amatore quiddam novum in mundo videbitur, nempe: qui post tot hactenus sæcula ego ipse Ecclesiæ idea fui conficiendi in Sacris OEcumenicis Conciliis suos salutares Canones adversus Hetherodoxos homines, tandem ad hoc ventum fuerit, ut ego in Hispania cum eis simul adscriberer.

O!

61 O! fateor coram Deo, quòd si in libris meis quid-quam deprehenderem quod Sanctæ Ecclesiæ *Constitutis* adver-saretur, ego ipse primus ligna portarem, ut publicè cremaren-tur. Sed heus consolabor, quòd in eis quos præsertim de *Gra-tia* scripsi, nihil ejusdem Ecclesiæ supremi Vigiles & Specula-tores Romani Pontifices invenerunt umquam absonum, quinimò iidem ipsi, quoties aliqua alicubi de *Gratia* exor-ta est controversia, discordantes miserunt memet consule-re, & ex me dictis & statutis acquiescere: uti *Hormisdas* Pa-pa olim fecit rescribens *Professori Africano*: *B. Augustini Opuscu-la legite.* Unde astipulante Eximio Suario, in materia *Gratiæ* non qualiscumque Doctor ego habendus, sed tamquam Prima-rius ab omnibus Theologis colendus.

62 Hæc vel invitus dixerim, quia cum iste Duaci Theo-logaster, aut veriùs homo consummatè dicax, non audeat me pa-làm ferire, quoniam hoc scandalo esset devotioni quâ præser-tim Sapientibus sum obstrictus: nullum lapidem intactum re-linquit, quatenùs saltem indirectè rum Norisio Jansenistis in-volvat, cujus alioqui sententiam de *Virtutibus infidelium* esse æquè meam, quivis in sola Grammatica mediocriter instruc-tus probabit, qui verba mea supra posita cum Norisianis con-ferat. Quin insuper eo pervicaciæ venit, ut non tantùm No-risium, sed & omnes meos Augustinenses traducere contendat, tamquam Sectatores Baii, & Jansenii, etiam postquam audi-vit ab ore *Benedicto*, quod melius discernit pretiosum à vili, quàm immerito ab eo, & aliis ei haud absimilibus tradu-cantur. Epist. Anonyma nuper edita.

63 *Prosper.* In hoc res nititur, Pater, quia non est qui *ca-mo & fræno maxillas ejus constringat.*

64 *Augustinus.* Sed tace Prosper, & desine, dolorem meum tantisper temperare. In cujus, nisi istius hominis, men-tem venit umquam, quòd cum Augustinenses mei in Hispania prorsus inauditi, super expungendo suo & meo Norisio ab Expur-gatorio, confugerint ad *Summum Ecclesiæ Antistitem*, supremum ejus auxilium invocando; id ipsorum factum quasi similitudi-nem redoleat Jansenistarum appellantium ad futurum Concilium? Quid? Decreta Inquisitionis Hispanæ *Oracula sunt Pontificia*, ut non liceat, nec valeat ab eis aliò appellare? (præterquam quod Augustinenses non accesserunt ad Summum Pontificem rigoroso *appellationis* nomine, sed humilis tantum supplica-tio-

tionis) vel DD. Inquisitores Hispani sunt *absolutè* Judices Supremi, qui non habeant supra se quem Christus Dominus constituit in terris suum *Vicarium*? Quid hoc potius redolet? DD. Inquisitores Hispani Supremi Senatus, Supremi sunt, ast semper tamquam filii obedientes Subditi Summo atque *Supremo* Ecclesiæ visibili in terris *Domino*, quinimo in hac humili subjectione majorem suam gloriam repositam habent.

65 *Prosper.* Tam crassæ mentis est homo, quòd Supremum tantùm *respective*, sibi æstimet *absolute* & *simpliciter* Supremum. Iste ejus profectus, postquam illum suprà misi ad P. Arsdekim, ut eum instrueret super his & aliis terminis Philosophicis: quinimo de istis *Absolute*, & *Respective* est primum ejus præceptum. At potius videtur, in his tantùm *Negative*, & *Privativè* esse ipse ingenitè doctus.

66 *Augustinus.* Ast age Prosper non interrumpas confessionem meorum Augustinensium adversus deliramenta & ineptias ejusce loquaculi Theologi. Hæc itaque est. „Primò: Soli „Pontifici Romano collatam esse à Christo Domino Autho„ritatem infallibilem regendi & docendi universam Ecclesiam, „dum soli Divo Petro cum ejus Successoribus dixit Lucæ 22. „*Ego pro te rogavi, ut non deficiat fides tua, & tu aliquan„do conversus confirma fratres tuos.* Et Joannis 21. *Petre amas „me? Pasce oves meas.* Et Matthæi 16. *Tu es Petrus, & su„per hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Secundò: Sum„mum Romanum Pontificem per semet habere ejusmodi in„fallibilem Authoritatem, omninò independentem ab assen„su Concilii generalis, necdum exacto per modum condi„tionis sine qua Spiritus sanctus ejus diffinitionibus non as„sisteret: Quoniam allata Christi Domini verba, cùm abso„luta sint, ut ex ipsis constat, neutiquam patiuntur hujus„modi conditionem opponi. Tertiò: Generale Concilium „omnem suam potestatem quoad munera dicta derivatam ha„bere à Romano Pontifice, tamquam primo fonte: cui Chris„tus Dominus in Divo Petro, nullique alteri, authorita„tem gubernandæ & docendæ Ecclesiæ immediatè concessit. „Quodvis autem iis tribus Articulis oppositum omnes Augus„tinenses mei mecum anathematizant; immò eos tueri & te„nere ad necem usque sunt parati.

67 Vide jam (homo loquacissime) an post istam Augustinensium meorum Catholicam confessionem possint vel leviuſ-

viusculam pati labem Jansenismi damnati, qua eos tuo plusquam fanatico spiritu insultas, & traducis? Et quomodo post factam cautionem, priusquam tua recens Anonyma Epistola in lucem (vel potius caliginem nebulosissimam) prodiret, de formalitate, & modo, quo *noster Beatissimus Pater & Dominus Benedictus XIV.* (utinam regnet in sæcula) cum *suo Decessore fel. memor. Innocencio XII.* se hucusque gessit in re Norisiana (& habes initio hujus *Responsionis numero* 8.) quomodo, inquam, vis tibi fidem vel minimam præberi, cùm eos iteratò insimulas, quod simplici populo suggesserint, nostrum Sanctissimum atque numquam pro merito laudandum Benedictum XIV. suis in venerabilibus Literis processisse ex Cathedra, & tamquam Oraculum infallibile veritatis in causa Norisii, & super ejus doctrina? Quis nisi omnino desipiens id tentaret! quin immo Augustinenses mei, qui, ut loco citato videre potes, discernere sapiunt, quantum unum ab altero longissimè distet. Populus abs dubio commotus est; ast hujusce commotionis tu ipse prima causa es, qui tuis assiduis assentationibus eam foves, & confoves, ne debita obedientia præstetur, cui alioqui animo promptiore longe ante præstari debuit. Augustinenses mei promptissimi erant & sunt obedienter ferre proscriptionem sui Norisii, si is cui primò attinet, eam promeritam declaraverit: sed interea in possessione constituti post tantam contradictionem, qua vix major, suæ immunitatis; quomodo non dolebunt, & clamabunt de intentata dimotione & depulsione?

68 *Prosper*. Quid autem dices Pater ad hoc novum & commentitium hujus hominis crimen, quod tuo Norisio in eadem Epistola Anonyma suprà citata, imponit; statuisse scilicet, *quod Ecclesia potest approbare & definire tamquam verum, quod aliquando reprobavit & definivit ut falsum*? cum quod Norisius dixit *cap.* 3. *Vindiciarum* §. 2. ab eodem citato, hoc in terminis ipsius propriis sit: *Rursus sciendum est, aliquas propositiones æquivocas modò ab Ecclesia rejici, modò approbari.* Quippe ego inter utramque propositionem grande discrimen deprehendo.

69 *Augustinus*. Et quidem interest maximum. Hac hominis versipellis versutia sæpe usus est mecum *Julianus* Pelagianus, cui idcirco non semel reposui: *Redde verba mea, & vanescet calumnia tua.* Ut autem detegatur quæ hîc à Duacen-

cen-

censi Norisio fit, nil opus est, nisi tantùm aliquali notitiâ primorum elementorum *Dialecticæ*, ubi maxima adstruitur differentia inter *appellationem formalem* terminorum, & *materialem* in propositione. Illa videlicet, in qua *prædicatum* appellat supra *significatum formale* subjecti. Secunda vero, quoties *prædicatum* tantùm appellat supra *significatum materiale ipsius*. Exemplum sit in eodem Duacensi utique aptissimum, quandoquidem se se inscium demonstrat etiam in regulis Summulisticis: v. g. *Duacensis magnus est Dialecticus. Duacensis est magnus Dialecticus.* En duæ propositiones primo aspectu similes, sed alioquin omnino diversæ, quia prima, dato quòd sit magnus corpore, aut quantitate molis, & qualiscumque Dialecticus, vera est: at secunda omnino falsa, quia insipienter offendit in propositione Norisiana: cujus prædicatum, nempe *ab Ecclesia rejici* determinate appellat appellatione formali, supra significatum formale subjecti, scilicet *Propositionis æquivocæ*, sive modificatę æquivocatione, aut æquivocatione reduplicata: & prout sic, est vera. At in propositione Duacensis, prædicatum *reprobationis Ecclesiæ* ex opposito appellat appellatione materiali, nimirum supra significatum materiale subjecti, id est, *propositionis ab Ecclesia aliquando approbatæ secundum se, & specificative acceptæ*. Quapropter nil mirum quòd ita deceptus tam malam, immò malitiosissimam consequentiam extorqueat adversus Norisium.

70 *Prosper.* Pater tibi experimento constat, quod huic homini hisce terminis loqui *formaliter*, *materialiter*, *specificative*, & *reduplicative*, perinde est ac ei loqui sermone Græco, vel Arabico.

71 *Augustinus.* Idcircò ita ineptè argutatur. In summa est dicere, quòd aliqua Propositio æquivoca, sive quæ pro tempore potest æquivocationem parere in auribus audientium, hæc, inquam, valet ab Ecclesia aliquando rejici, quamdiu scilicet imminet & durat periculum æquivocationis: ast postea secluso æquivocationis periculo, potest ab eadem Ecclesia approbari. Exemplum sit id ipsum quod hîc tradit idem Norisius, in hac propositione: *UNUS E TRINITATE PASSUS EST.* Hæc propositio pro suo tempore rejecta est ab *Hormisda* Papa: non utique ratione veritatis assertæ, quoniam Fide divina certum est, quòd Christus Dominus, secunda Trinitatis Persona, reverâ passus est pro nobis. Sed quare?

Ob

Ob hoc tantùm, quia pro ea tempestate grassabatur hæresis *Euthychianorum*, ponentium in Christo Domino conversionem DIVINITATIS in carnem, proindeque asserentium, passum esse simul in *Deitate*, sive in *Natura divina*. Et quia illa propositio, *Unus è Trinitate passus est*, ita absolute prolata, poterat aliquam æquivocationem parere cum ejusmodi hæresi Euthychiana, cum ly *Unus* sit terminus transcendens *Personæ*, atque *Naturæ*, qui proinde posset accipi vel pro unitate *Personæ*, vel pro unitate *Naturæ*, & in hoc secundo sistebat hæresis Euthychianorum, tenacissimè contendentium, Christum Dominum passum esse etiam in *Natura divina*: eapropter visum est melius *Hormisdæ*, & etiam Felici III. & meritissimè inspecta rerum ac temporum circunstantia, illam propositionem *UNUS E TRINITATE PASSUS EST* pro suo tempore recusare, nihil obstantibus votis atque instantiis quorumdam Monachorum, qui venerant ex Scythia, contendentes, debere admitti, & tamquam de Fide declarari. At postea temporibus in diversa mutatis, quibus jam non imminebat ejusmodi periculum, æquivocationis scilicet dictæ Propositionis cum hæresi Euthychiana, utque melius in dies tolleretur, admissa & probata est eadem Propositio à *Joanne II.* & *Vigilio* Summis Pontificibus cum addito ei affixo *CARNE*, itaut tota propositio complexa sonaret: *UNUS E TRINITATE PASSUS EST CARNE*: quo addito datum est omnibus sciri veritatem Catholicam absque ulla ambiguitate, nempe, quòd *Christus unus unitate Personæ passus est in carne assumpta*, & nullo prorsus modo in Deitate impassibili.

72 Jam verò ecquis in hoc Norisii error? Numquidnam Summi Pontifices pro tempore in Ecclesia regnantes ex consueta sua prudentissima procedendi œconomia, non possunt quoad munus Pastorum Universalium sibi à Christo commissum, nobis subtrahere escam doctrinæ pro tempore inportuno, & pro opportuno porrigere? Quis audebit, non tantum asserere, sed nec minimum dubitare? Distinguat itaque Duacensis, & non sic confundatur ex suo P. Neusser, inter Propositiones scilicet *Univocas*, quarum unus tantùm est sensus, & *Æquivocas* admittentes duplicem sensum, quorum unus est Catholicus, alter Hæreticus, vel hæresi affinis. Propositiones primi generis, si veræ sunt, eas Ecclesia suâ immutabili sententia approbat: si autem falsæ, illas perpetuò

reprobat & condemnat. Sed vero æquivocas, Ecclesia easdem approbat in sensu recto & catholico, & in falso & hæretico proscribit. O quanti olim stetit Ecclesiæ verbum Græcum *HOMOUSIOM* ob diversitatem sensuum, secundùm quos sumi poterat! jam rejectum à Patribus in Synodo *Antiochena* in sensu hæretico *Pauli Samosateni*: jam receptum in sensu catholico à Synodo *Nicæna*. Ecclesia *Latina* vocem *HYPOSTASIS* diutius aversata est, quam aliàs *Græci* Patres tamquam Catholici dogmatis contra Hæresiarcham *Sabellium* magis expressivam invexerant. Videat Duacensis rem hanc iis & aliis sexcentis exemplis probatam ab eodem Norisio *tom.3. Disser.2.* cui superinscriptio: *Apologia Monachorum Scythiæ*: quin & Patrum authoritate munitam, insuper eruditione *Petavii*, & *Tomassini*, Authorum abs dubio in rebus Ecclesiasticis instructissimorum, & hunc secundum præsertim castigantem falsissimam ipsius Norisio inflictam imposturam, cum dixit *lib 3. de Incarnat. cap.24.* hoc titulo ab eodem signato: *FIDES SENTENTIIS, NON VERBIS TRUTINANDA.*

73 Neque vero præterire possum, quomodo tandem idem *Neusser*, qui alioqui Duacensem corrupit, ut ita repente insultaret adversus Norisium, demum in eamdem Norisii sententiam venerit, eique sit astipulatus. Verba ejusdem Norisii transcribam, ne eorum solitam elegantiam offendam. Ait itaque Dissertatione laudata: *Denique Neusser hæc scribit*: *Hormisdas verò*, *Dioscorus*, immò & *Justinianus*, cum hanc propositionem, *Unus de Trinitate passus est*, ab Eutychianis tanto studio assertam *AMBIGUAM* esse viderent, & *in eorum sensu omnino hæreticam*, *illam approbandam esse non putarunt*: In *catholico igitur sensu facilè intelligi potest*, *diverso tamen à sensu* Anastasii Imperatoris, Eutychianorum, & Monachorum Scytharum, ac præ cæteris Joannis Maxentii. Hæc Neusser verba. Nunc glossa Norisii: *Ita veritas invito pectore erumpit*. An non hæc ipsissima est Norisii sententia, quam tamen tot antea diris devoveras? Cogor hîc illam repetere, ut utriusque collatio una simul lectorum oculis hæreat. Hæc ex Norisio recitabas: *Rursus sciendum est aliquas propositiones æquivocas modò ab Ecclesia rejici*, *modò approbari*:::: Nec linea fingi potest, qua utriusque vestrûm pronuntiata discriminentur. Ille (Norisius) tradit aliquas *propositiones æquivocas* in uno sensu ab Ecclesia rejici, uti propositio: *Unus è* Tri-

,, *Trinitate passùs est*, ab Hormisda rejecta fuit; nempe, *in sensu*
,, *Euthychianorum damnata fuit.* Tu vero (*Leusser*) scribis, eam
,, propositionem *ambiguam fuisse*, *& in Eutychianorum sensu om-*
,, *nino hæreticam.* Ergo illi (*Norisio*) similiter loqueris (*Leusser*)
,, omnis enim hæretica Eutychianorum propositio damnata est
,, ab Ecclesia. Ille (*Norisius*) asserit eamdem thesim in diver-
,, so sensu, eoque catholico, à *Joanne II.* ac *Vigilio* approbatam
,, fuisse. Tu (*Leusser*) concedis eamdem *in catholico sensu in-*
,, *telligi posse.* In hoc ergo sensu, *diverso tamen à sensu Euty-*
,, *chianorum*, uti scitè loqueris (*Leusser*) ab Apostolica Sede
,, probari potuit. Estne ovum ovo, aut lac lacti similius? Post
,, hæc prosequitur Norisius quasi Duacensem alloquens: Hinc
,, aerem verberas, cum magno verborum strepitu clamas, eâ
,, Norisii sententia Ecclesiæ in dogmate fidei definiendo in-
,, fallibilitatem oppugnari. Nam numquam ille (*Norisius*) as-
,, seruit, Ecclesiam aliquam propositionem *Univocam*, *in eodem*
,, *sensu acceptam*, *modò approbasse*, *modò damnasse*. Verum jux-
,, ta notionem diversam cujuspiam propositionis *Æquivocæ*, id
,, defacto contigisse monstravi.

74 Hinc Duacensis ex suomet *Neusser* exemplo (qua nulla melior probatio) in posterum edocebitur, quoties ac in aliquo Authore aliquam, vel aliquas propositiones offenderit æquivocas, sive *ambiguas*, quæ scilicet duplicem sensum permittant, unum Catholicum, alterum Hæreticum, non illico eas carpere: quin insuper neque ita tenaciter adversus alium concertando sensui hærere hæretico, quòd illius Catholicum non admittat: quo utroque vitio alioqui laboravit in propositionibus Cardinalis de Noris ex ejus libris excerptis, & suo in libello transcriptis, uti ipsi favente Deo planum atque perspicuum fiet. Quinimo sat ei foret, ut illas firmiter crederet ejusce indolis, toties iterata approbatio gravissimorum Theologorum non minoris scientiæ & literaturæ ac Hispani esse possunt, quin quoad Theologiam Dogmaticam præsertim spectat, Theologus sum, excessum non diffitear, quia ipsi plus experti, plus huic Theologię præ nostro Aristotelico modo eam tractandi dediti. In summa *Itali* simul & *Hispani*, iique celeberrimæ Universitatis Salmantinæ, omnes datis dextris convenêre in earum approbatione: quod igitur validius argumentum desiderabitur pro earum sano & Catholico sensu, utque novi & recentes perturbatores, velint nolint, redigantur acquiescere? Quid Prosper dicis?

Pros-

75 *Prosper.* Dicam Pater, quod confido in Domino, ad exemplum *Neusser* ita resipiscentis, fore etiam in Duacensi post justam ejus correptionem: sicque vaticinium implendum mei Prosperi Aquitani, quod olim Rufino de te, tuaque doctrina rescripsit, dicens: *Confide ergo in virtute misericordiæ Dei, quoniam hæc contradictio* (Semipelagianorum) *sicut in aliis mundi partibus, ita & in his Regionibus conquiescet: ut prædicatio summi hoc tempore in Ecclesia Viri, etiam ab his, à quibus ad præsens revellitur, adjuvetur.*

76 *Augustinus.* At saltem sinant eum cum mortuis in pace requiescere. Vellet ipse forsan, quòd nos modò ossa arida *Molinæ* evolueremus, eum denuo de *Semipelagianismo* incussaturi? Quod igitur *sibi non vult, alteri ne faciat.*

77 *Prosper.* Et ipse præsertim, qui ita viriliter pugnat pro nostro libero arbitrio, quod suapte naturâ, absque speciali Dei dono, ejusmodi veritatem practicam scit, & libens amplectitur. Huc Pater rursus venit adagium meum Hispanum quod supra: *Del dicho al hecho &c.*

78 At Pater, hîc saltem mihi credes, quòd hominis istius adversus tuum Norisium adeo furibunda exacerbatio, potius livoris zelo, nil minus Religionis, est orta: & non nisi spinâ conficti Vindiciarum ejus, ubi te vindicaturus prodiit illis ab infrunitis hominibus, qui talia horrenda adversum te effutiere, qualia initio enarravi? En igitur hîc experimentum novum, idque perspicuum. Quod nuper de *Propositionibus æquivocis* Norisius dixit, & ex *Neusser* errori ejus denuo vertit in sua Anonyma recens edita, proprium sibi locum vendicat Tomo 3. Operum ejusdem Norisii, cui ipse speciatim inseruit *Apologiam Monachorum Scythiæ*, adversus confictum hominem illum *Scrupulosum*, alioqui conscientiæ omnium laxissimæ, quippe qui videns Norisium ab eo alias delatum, Romæ prospero vento currere post Sacrum Fidei Tribunal (cogitet hîc Duacensis & conferat, num minoris essent zeli Domini illi Inquisitores, ac est Illustrissimus Dominus nunc Inquisitor Generalis nostræ Hispaniæ, proculdubio zelantissimus) insuper coram Sanctissimo Domino nostro fel. record. Innocencio XII. eò pervicaciæ venit, tantoque furore efferbuit, ut ausus fuerit, novum Anonymum edere *CHRISTO CRUCIFIXO* inscriptum, & coram eo, & apud eum à Sede ipsa Apostolica per ipsum appellando.

Vide

79 Vide itaque Pater excelſe, & aſpice exemplo ipſo teſtimonium meum liquidò comprobatum, quòd nempe cum prædicta Noriſii doctrina de *Propoſitionibus æquivocis*, quam modò è cubili ſuo exiit denuò in eo incuſſare, & non niſi *Tomo* 3. Operum ejus loco citato contineatur: non hunc Tomum, nec alios quatuor ab eodem exaratos, ſed Primum tantùm *Hiſtoriæ Pelagianæ* fecit recenti Expurgatorio ingeri. Et cur? Suomet pondere reſponſio ipſa cadit: quia ſolùm hoc primo Tomo, & non alibi, tuæ ipſius *Vindiciæ* continentur. Dicam amplius, neque ſatis pro merito hominis verſutiam ponderabo, quòd vel præter ipſius morem, fortuito aliquando rubore correptus, vel timore, ne lapides ipſi (in proſpectu tuæ grandis devotionis & reverentiæ, quam univerſo Orbi Catholico ubique debes, ob communem tui doctrinam, qua *cunctorum conditionibus ſalubriter providiſti*) ſe ſe adverſus eum erigerent, acrem de eo vindictam ſumpturi, non eſt auſus *Vindicias* tuas, & quia fauſtum tuum nomen inſonantes, in dicto Expurgatorio propria appellatione explicare: ſed tantùm (perpende hominis aſtum) ſub hoc ſigno &c. involutas voluit. Quid? Sic in Hiſpania libri proſcribuntur ſub ſignis tantùm, figuris, & characteribus nihil ſonantibus? cum alioquin *Proſcriptio* ſuapte ſit tam odioſa? Quaſi ludus videtur (ut vulgò dicitur) *De Compadres* res acta, aliàs ſeriore circunſpectione digna.

80 Ulterius: etſi in *Hiſtoria Pelagiana &c.* aliqua eſſet propoſitio, quæ videretur cenſurâ Theologicâ digna, crediderim ego forſan prudentioris œconomiæ, eam expungi decernere per Expurgatorium ipſum, quàm totam illam omnino proſcriberê: ne ſic Orbis literatorum privaretur eruditione proculdubio magna in materia Hiſtoriali, quæ dogmata veræ doctrinæ minimum concernit. Quomodo hæc patienter ſunt ferenda?

81 Heus tu Duacenſis, ubinam es? An velut Adam aufugit, cum ſe nudum eſſe cognovit, ob diſcoopertum involucrum ſimulationum ſuarum? Veni huc. An cogitabas, te non eſſe manum meam experturum? Gratus eſto excelſo Auguſtino, in cujus conſpectu ſto: alioquin ſeverius te prememrem, maximè poſtquam tuam inſolentiſsimam Anonymam epiſtolam evulgaſti, quamque non ſine piarum aurium gravi offenſione, quà tam contumelioſe debacchatus es adverſus

Fra-

Fratres Augustinenses mihi aliàs devotos, gratiâ præsertim sui Magni Patris, cujus inclyto nomine nobilitantur, qui ut plurimum *boni Viri sunt de Campis*, pacati, nulli lædentes, benevolentes omnibus. Quis ad hæc non exhorrescet aliunde te videns, quanta cum mordacitate adversus eos insultasti, illos, nemine dempto, Jansenistas appellando, & hoc linguâ vulgari, ut sic simplici etiam populo horrori fierent, eò usque ut per temet implorasses potestatem Regiam ad eorum universam extinctionem? Quodsi fieri potuisset, quòd Norisius Jansenista deprehenderetur (qua de re judicium ferre ad te neque ad me attinet, sed solum ad Supremum illum Judicem incorruptum, cujus sententia in Ecclesia Catholica firma, rata, & immutabilis ab omnibus Orthodoxis haberi & venerari debet) non propterea cunctos deberes cum Norisio involvere. Quamvis enim in Collegio Apostolico fuerit unus Judas proditor, non idcirco reliqui Apostoli fuerunt proditores. Vide itaque in quæ absurda libido ipsa detrahendi te impulit ac detrusit, homo nihili, qui non animadvertis, quod dum hanc infamiæ notam Augustinensibus inurere satagis, tui ipsius, tuorumque sodalium existimationem labefactas. Quis, inquam, ex te hæc audiens tam horribilia, supra modum non indignabitur? Ast, crede mihi, medium servasse Prophetæ dicentis: *Irascimini, & nolite peccare*. Amici eramus, amici sumus, tibi non indevotus, de te benemeritus, nusquam ingratus.

82 *Augustinus*. Prosper, Prosper, ubi es?

83 *Prosper*. Adsum Pater.

84 *Augustinus*. Quid amplius de *Virtutibus infidelium* habemus?

85 *Prosper*. Ego me tuis commito, quibus Regnum cœleste meruisti possidere cum Sanctis.

86 *Augustinus*. Idcirco hæ maxime dicendæ sunt virtutes, non quæ præmium tantùm merentur temporale.

87 *Prosper*. Et jure quidem optimo. *Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur?*

88 *Augustinus*. Tu ergo & ille tecum hisce veris solidisque virtutibus studete, & nolite in contentione & æmulatione immorari.

89 *Prosper*. Tu met Pater testis fidissimus es, quod opus istud

iſtud non ſum aggreſſus niſi graviter laceſsitus, plene inſuper invitus & coactus, quin divino Oraculo doctus: *Melius eſt nomen bonum, quam divitiæ multæ.* Immò haud ignorare vales, me ſemper in animo ſtetiſſe firmiſsimo, nihil prorſus de Noriſio, ſive *pro*, ſive *contra* eloqui, ſed potiùs, ut alter *Samuel* fecit, patienter expectare, donec Supremus Dominus *Benedictus* loqueretur, & tunc ex officio mihi debitiſsimo humiliter obſequi, tametſi præciperet, quòd meiſmet manibus Noriſii Scripta publicè in platea Madritenſe in rogum cremanda projicerem, incunctanter facerem.

90 *Auguſtinus.* Neque in eo quidquam ſupererogationis ageres, qui primam tui obedientiam voviſti Summo Pontifici Romano. Sed dic modò, an Duacenſis plus in hoc §. 3. addat?

91 *Proſper.* Paululum cum pertranſivit Noriſium tuum in Lutheraniſmi barathrum jácere, ecce regreſſus adeſt, novum Paragraphum inſtituens, quo plura teſtimonia, tùm Sacræ Scripturæ, tùm Patrum ingeminat, firmiter ſtatuentium, quod non omnia opera infidelium ſunt peccata, immò plura eorum bona, & meritoria mercedis temporalis.

92 *Auguſtinus.* Et Noriſius firmiſsimè quoque id credidit, tùm ſubſtantiâ eorum inſpectâ, tùm fine condebito, licèt aliàs ex me (prout PP. *Vazquez*, & *Ripalda* primùm deſiderarunt) donum Dei Rectoris omnium potentis atque univerſalis requiſierit ex parte actus ſecundi, & potentiæ conſequentis, ut opera ipſorum *ut plurimum* evaderent undequaque bona, & nomine virtutis inſignirentur.

93 Ut autem paralleli formam in cunctis ſervemus, repone ei, primùm illud Chriſti Domini, Joann. 15. *Sine me nihil poteſtis facere*, quod ex *P. Vazquez*, ubi ſuprà, dictum eſt etiam pro bonis operibus infidelium. Rurſus, *Concilium Arauſicanum II.* de quo etiam ſupra: *Nemo habet de ſuo niſi mendacium, & peccatum.* Nec valet effugium ejus, quod infra §. 7. refert, cùm dicit: Concilium *ibi egiſſe contra Pelagium, qui non tantùm gratiam ſupernaturalem internam denegabat, ſed etiam generalem Dei concurſum, & providentiam &c.* Nam primum ſolùm poteſt aſſerere, qui me nuſquam vidit in locis ſuprà initio hujus paragraphi citatis, ubi expreſsis verbis, dixi ex Juliano Pelagiano, gratiam ſupernaturalem internam poſuiſſe, ſed in modo penitùs erraſſe. Secundum aſſerit, quia exiſtimat Pelagianos

(qui

(qui aliàs acutiſsimi fuerunt, ut conſtat ex libris ejuſdem Juliani adverſum me editis) prorſus ſtolidos fuiſſe, eò quòd negarent Providentiam generalem, quam Deus alioqui habet de *bobus*: & P. *Cornelius Alapide* aſſerit eſſe de fide *ſup.* 1. *ad Corint. cap.* 9. *v.* 9. *De fide eſt Deo curam eſſe de bobus &c.* hanc non habere de hominibus, cùm habeat multò magis ſpecialem. Ad opera itaque bona etiam infidelium concurrit Deus Cauſa prima concurſu pluſquam generali, etiam ſpeciali, faciendo quòd humana voluntas faciat, eamque operi ipſi bono ſpeciali velut ſtudio applicando: ad diſtinctionem peccati, quod vel permittit, vel ad illud tantùm concurrit invitus & coactus.

94 Denique alia omittens Patrum teſtimonia, quæ videri poſſunt apud eumdem Noriſium: placet unum tantùm exhibere, qui melius mentem meam calluit. Hic eſt Sanctus & Venerabilis Beda in *Præfatione ad Cant.* ubi Pelagii ſententiam de Philoſophorum virtutibus ſic diſcernit, & impugnat: *Quod ergo dicit* (Pelagius) *multos Philoſophorum patientiam, caſtitatem, modeſtiam, aliaſque de naturæ bono habere virtutes, conſtat, quia quicumque Philoſophorum Chriſtum Dei Virtutem, & Dei Sapientiam neſcierunt, nec ullam veram ſapientiam habere potuerunt.* En hactenus virtutes ſteriles & infructuoſas nil conducentes ad meritum vitæ æternæ. Proſequitur dein immediatè ſubjungens: *In quantum vero vel guſtum aliquem ſapientiæ cujuslibet, vel virtutis imaginem habebant: totum hoc deſuper acceperunt, non ſolùm munere primæ creationis, verumetiam QUOTIDIANA EJUS GRATIA.* Ecce rurſus pro iiſdem virtutibus infructuoſis & ſterilibus infidelium ultra ingenitam vim naturæ rationalis in ſua creatione acceptam, deſideratam quoque Dei gratiam: non quidem habitualem, uti deſideravit Bajus ad quodvis opus bonum morale & honeſtum; ideoque ad ejus defectum in infidelibus, & etiam fidelibus peccato lethali infectis, negavit ulla opera bona, immò omnia poſuit eſſe peccata. Sat eſt gratia actualis: neque iſtam Noriſius requirit præcisè providentiæ ſupernaturalis, ut placuit P. *Ripaldæ*; ſed ipſi ſufficiens ordinis naturæ: neque intra ordinem naturæ, quam aſtruxit *P. Vazquez* conſiſtentem in congruis & piis motionibus & excitationibus voluntatis. Saltem in Noriſio non eſt patienter ferenda, quin hæreſeos inſimuletur, gratia ordinis naturæ, unicè conſiſtens in concurſu Dei ſpeciali, quo ſpecialiter movet humanam voluntatem ad agendum, eamque facit bene agere & operari.

Hæc

Hæc eſt gratia ſpecialis Noriſii pro virtutibus infidelium, primùm ex me, deinde ab Ariminenſi rurſus exacta, cujus utriuſque veſtigiis ipſe inſtitit tamquam verus Auguſtinianus.

95 Ecce jam mi Duacenſis, ſignum quod tibi promiſi exhibitum telæ atque texturæ qua tegenda eſt turpitudo, quà Noriſii doctrinam alioqui meritis ſuis purpuratam, iniquè fœdaſti. In dies ſpero, quòd multò pretioſiore amictu omnibus conſpicienda præbebitur. Quod ſi hæc incœpta textura nondum plenè confecta prodit, quia forſan adhuc in textrina verſatur, mirari non debes, quandoquidem in tuo incompto libello non paucos menſes conſumpſiſti, quòd ego annos addam, ex quo nimirum prima cogitatio concepta eſt excudendi Expurgatorium noviſsimè editum, quoniam ex tunc apud temetipſum finem quoque præfixiſti ei Noriſium ingerendi; neque hinc orituras rixas potuiſti non præſcire, niſi Auguſtinenſes prorſus inſenſibiles tecum ipſo reputares. Et alioqui primum cavere debuiſti, quoniam fratres ſumus; & ſi tu dexteram gloriæ mundanæ tenes (utinam etiam cœleſtialis) nobis ſaltem ſiniſtram relinqueres condilectæ pacis in noſtro dejecto humilique tugurio Cum itaque tu primus adeò elatus laceſſeris, memorare dictum: *Quis medebitur Incantatori à ſerpente percuſſo?* Rurſus licitum, *vim vi repellere*; attamen *moderamen inculpatæ tutelæ* religiosè à nobis ſervatum eſt, quoties ex oppoſito non prodivimus te, tuoſque Pelagianiſmi & Semipelagianiſmi viciſim inſimulando. Sed abſit: namque per Beatiſsimum Patrem & Dominum Innocencium XII. ſeverè & juſtiſsimè prohibitum, & ſimili quidem ex occaſione quæ hodie in noſtra Hiſpania hac tempeſtate irrepſit, & in Belgio tunc maximè graſſabatur, quòd nempe in Scholis diverſi ſenſùs injuriæ nullæ Bajaniſmi, ſive Janſeniſmi ab alternis projicerentur. Vide igitur Duacenſis, quantis in Noriſium injuriis & maledicentiis inſultaveris; ideoque eaſdem ipſas (ſi bene noſti) in illum Supremum Judicem Eccleſiæ effudiſti, qui tibi abundè demonſtravit, Noriſium non ſolùm nihil Janſeniſmi aut Bajaniſmi continere, ſed neque redolere. Et licèt hoc Summi Pontificis teſtimonium pluſquam ſufficiens tibi eſſe deberet (niſi mavis obſtinatè obſiſtere) tamen ut errorem tuum facilius deprehendas & abjicias (nam *hominis eſt mutare conſilium*, utinam ſic te ipſum virum præſtares!) placet nunc tranſcurſim ſaltem tuas

percurrere Antitheses, quamdiu prolixiùs super eis non disseram.

96 *Prosper.* Ne plus Pater defatigeris, ad hoc sufficiens sum ego, tu te difficilioribus servato.

97 *Augustinus.* Et bene Prosper.

98 *Prosper.* Sit itaque

§. III.

RELIQUÆ ANTITHESES DUACENSIS libelli summatim refelluntur, & quàm fraudulenter Norisio adscribantur, demonstratur.

99 PRosper. Paragrapho 5. sic ait Duacensis: *Ex hoc Apostoli textu: Omne quod non est ex fide peccatum est, intulit Bajus, Jansenius, & Quenellus, quibus adhæsit Noris: Ergo omnia opera infidelium sunt peccata.* Sed videamus quam probationem afferat, ut Norisium Bajo, Jansenio, & Quesnellio associet, & adhærere faciat? Prorsus nullam, nisi priscum illum livorem, quo olim jurati hostes virum omni encomio majorem, & de Ecclesia eximiè benemeritum insectati sunt; ut novissimè diebus istis per omnium ora infami Jansenismi notâ illum traducat, odiosumque proponat.

100 Intulerunt utique Novatores nominati, sed ex prava intelligentia textûs Apostolici, quem voluerunt determinatè loqui de *fide habituali & superna*: non ita Norisius, qui loqui illum posuit indefinitè, & disjunctivè, non tàm de *fide habituali & superna*, quàm vel de *adquisita*, vel *ex dono Dei speciali habita*. Utramque istam expresse *cap.* 3. *Vindiciarum*, §. 4. *fol. Impressionis Patavinæ* 46. *& Veronensis col.*939. *Hablen cartas, y callen barbas. Hinc* (verba sunt Norisii) idem Augus-„ tinus lib. *de Prædest. SS. cap.* 7. tradit bona opera *Cornelii*, „ *Act.*10. à fide in Deum processisse: *Cujus*, inquit, *acceptæ sunt* „ *eleemosynæ, & exauditæ orationes antequam credidisset in Christum; nec tamen sine aliqua fide donabat, & orabat. Nam quo-* „ *modo invocabat, in quem non crediderat?* Ex quibus patet ad

„re-

„ referenda opera bona in Deum, non requiri fidem in Christum, sed satis esse fidem in Deum. En hîc *fides ex Dei dono, Cornelio* data, quacum bene operatus est suis in eleemosynis „ & orationibus. Immediate de fide *adquisita* subdit: *Immò* (inquit Norisius) solam etiam fidem *ADQUISITAM* sufficere, „ colligitur *ex lib. de Patientia, cap.*26. & 27. ubi Schismaticorum patientiam & bonam esse, & laudandam scribit (Augustinus) cujus verba paulo post referemus.

101 Nihilominus, prosequitur Duacensis, *De eodem articulo in proprio & literali sensu, prout jacet audet proferre Noris &c.* Repono: Et quis tibi dixit, quòd quoties ac ex literali & proprio sensu verborum Sacræ Scripturæ nullum sequitur inconveniens ex regula Augustini, ei sit standum, & non ad improprium sensum verba trahenda? Nec Theologus Scholasticus, nec Scripturarius pertemet deprehenderis. Hinc ad tuum ratiocinium distingue ly *fide* in majori & minori particula *vel*, sive *aut*, disjungendo inter fidem habitualem infusam, acquisitam, & ex gratia Dei actuali collatam, & videbis, quomodo nihil aliud concluditur nisi: *Ergo aliqua Opera infidelium sunt bona, & non peccata.* Ex quo rursus ad tuam Germanitatem (penè dixerim Ingermanitatem) propositionum (ne sis dolosus) scribe & adde ly *Absentia fidei* propositionis Jansenianæ, *habitualis infusæ*; & *extra fidem* Lutheranæ similiter *infusam habitualem*: & in hunc modum reliquis propositionibus Novatorum, & tandem convincêris, quâm toto cœlo distet Norisius ab eis. Ad secundam tui confirmationem esto fidelis, nec fraudulenter sumas ly *Fidem Christianam determinativè*, quia sic non est Norisii; sed in sensu sat ab eodem explicato *indefinitè*, & *disjunctivè*, vel Fide Christiana, vel acquisita, vel ex Dei gratia actuali obtenta: quævis earum Norisio sufficit, ut bona opera referantur in Deum, & virtutis rationem habeant. Mitto hîc reliqua tua penitùs inofficiosa, quippe qui Norisii spiritum minimè salutaveris. Et videamus quid in hac arte profeceris.

§.IV.

§. IV.

RESPONDET PARAGRAPHO VIII. *Duacensis Libelli.*

102 PRosp. Hic post crisim conceptam nimis fervidam adversus Norisium, & plus justo commendabilem erga *Hincmarum*, cui ex Sirmondo *Dissert. de 2. Dionysiis cap.4. fallere & falli fuit proclive*: & à Nicolao Pontifice *Chamæleonti* comparatus, & coacta ab eo Concilia Epist. 46. *Conventicula de sanguinibus* ab eodem Romano Pontifice appellata: contendit Duacensis Norisium Divo Paulo opponere, qui dixit 1. *Tim.* 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri*: & Norisius *Tom.*4. (aliàs in Expurgatorio non proscripto: quomodo zelus tuus pro puritate doctrinæ tam cito remissus?) ibi ergo Historię Gothescalcanæ Synopsis *cap.* 3. *col.* 707. ex opposito Apostoli Norisius dixit: *Deus non vult omnes homines salvos fieri.*

103 Hæc eadem impostura post obitum S. Augustini in Galliis spargi cœpit adversus eum: eique occurrit Sanctus meus Prosper *in Præfat.* Resp. *ad Objecta Vincent.* dicens: *Contexerunt ineptissimarum quarumdam blasphemiarum prodigiosa mendacia, asserentes talia in nostro esse sensu, qualia diabolico continentur indiculo.* In illo autem *prodigiosorum mendaciorum* indiculo, secunda blasphemia contra Augustinianam doctrinam erat: *Quod Deus nolit omnes salvare.* Unde fit consequens clarum, Duacensem denuo suscitare adversus Augustinum in suo Norisio easdem censuras, quibus olim Semipelagiani insultarunt. Hoc autem insultandi genus post Massilienses didicit rursus ex *P. Vazquez* 1. *p. disp.* 83. *cap.* 2. ubi recensens quatuor Augustini expositiones ad textum Apostoli laudatum ex 1. *Tim.*2. tandem concludit, non recte illum Augustinum interpretasse (edisce Augustine, edisce, qui *Magister omnibus* olim habebaris) immò S. Patrem noluisse concedere voluntatem Dei *antecedentem* circa omnium hominum salutem. Sic autem potuit dicere, qui S. Doctorem non legit *lib. de Spirit. & lit.* ad Marcellinum *cap.* 33. ubi non tàm disputat, quàm indubitatam supponit ejusmodi voluntatem in Deo, ita dicens: *Si voluntate quærimus, de hac quæritur unde sit? Si natura, cur non omnibus, cum sit idem*

Deus

Deus omnium Creator? Si dono Dei, etiam hoc quare non omnibus, CUM OMNES HOMINES VELIT SALVOS FIERI, & in agnitionem veritatis venire? Elige itaque, homo: Vis Augustinum loqui de *Voluntate* Dei *Antecedente* salvandi omnes homines? En illam expresse hîc. Vis quod determinatè loquatur de *Voluntate Consequente, Absoluta, & Efficaci?* unam ex quatuor Augustini expositionibus ibi à teipso recensitis sumas necesse est, sicut reapse sumis. Quomodo verò Augustinus recte exponeret genium *Voluntatis* Dei *Antecedentis, Inefficacis*, & ex te, *Conditioni innixæ*, ubi tantum agebat de *Voluntate Consequente, Absoluta, & Efficaci?* id potiùs foret confundere *utriusque Voluntatis* notiones, & neutram explicare.

104 Deberes itaque ob oculos habere præmonitum Divi Thomæ in 1. *dist.* 46. *art.* 1. qui melius atque reverentiùs Augustinum tractans, asserit, S. Doctorem cum dictas quatuor expositiones exhibet textui Apostoli laudato, loqui & determinate agere de *Voluntate Dei consequente*: qua proculdubio, te ipso astipulante cum reliquis Theologis, Deus non vult omnes homines salvos fieri, sed *electos* tantùm, quibus talia media & beneficia paravit, quæ eos certissimè cooperante libero eorum arbitrio ad æternæ salutis terminum perducerent. Hæc *Voluntas Dei Omnipotens* quacum quæcumque voluit, facit in cœlo & in terra. Hæc qua *non vult omnes homines salvos fieri, sed tantùm eos qui salvantur*, uti Norisius loco à te allegato dixit: *Hæc qua omnes salvantur, quoscumque ipse salvare voluerit, ac per hoc quicumque non salvantur, penitùs non esse ejusce voluntatis Dei, ut salventur: quoniam si non omnes salvantur, quos Deus ejusmodi voluntate vult salvos fieri, non omnia quæcumque voluit voluntate absoluta & efficaci, fecit &c.* En argumentum quoque tuum, Duacensis, adversus Norisium, fideliter resumptum, & plene solutum. Hæc *Gothescalcus* dicens non fuit hæreticus, sin minus, tu ipse anathematizandus, tecum tractis omnibus Patribus & Theologis, qui in universum quoad *Voluntatem Dei consequentem, absolutam, & efficacem* spectat, eamdem confessionem tenuerunt, & tenent. Fræna itaque in posterum non mutes, si non vis, temet præcipitem agi. Unum tantùm admonitum volo lectorem, quòd quæ hinc Duacensis prosequitur in hoc paragrapho, construat per *Paja, pajæ*, ne velit in nominum declinatione declinare.

§. V.

RESPONDET PARAGRAPHO X. *Duacensis Libelli.*

105 ARGUIT in hoc paragrapho Norisium, quia dixit loco laudato Historiæ Gothescalcanæ col. 708. *Non pro omnibus hominibus mortuum esse Christum Dominum, ex Scriptura, & SS. Patribus non obscurè deducitur.* Et prosequitur Norisii sensu necdum salutato, illum cum variis hetherodoxis consueto sibi more involvendo.

106 Hactenus hominem agnovi nec multum Dialecticum, nec multum Theologum: modò eumdem deprehendo adhuc in Ecclesia *Catechumenum*, qui egeat instrui in Catechismo Romano *Part.2. cap.4. num.24.* dicente: *Si ejus virtutem inspiciamus, pro omnium salute sanguinem à Salvatore effusum, fatendum erit: Si vero fructum, quem homines ex eo perceperunt, ad multos tantùm eam utilitatem pervenire, facile intelligemus.* Et rursus ibidem declarante, Christum non esse mortuum pro universis, (hic hæreas) *IN QUANTUM SALUTIS FRUCTUM DILECTIS SOLUM ATTULIT.*

107 Post sic aliquantulum in *Catechismo* instructum, idem *Parochus proprius* illum in majoribus edocendum, ducet ad Sanctum *Concilium Tridentinum sess. 6. cap. 3.* omnem populum Catholicum docens super fructu Passionis & Mortis Christi, in hunc modum. *Etsi ille* (Christus) *pro omnibus mortuus est, non omnes tamen mortis ejus beneficium recipiunt: sed ij dumtaxat, quibus meritum Passionis ejus communicatur.*

108 Sed verò hæc multa cum cautela fiant, ne sciant Theologi Duacenses, & illum velut suæ doctrinæ refractarium honoribus immeritis privent, & è gremio suo expellant: qui scilicet omnes post *Lovanienses* simili argumento sic omnes firmarunt: *Huic argumento, quod idem & Fausti fuit, responsum jam olim à Beato Prospero* (& allatis & transcriptis Prosperi verbis, concluserunt) *sufficientia ergo quam postulat generalis Redemptio, in pretio Sanguinis Christi est, non autem in auxilio omnibus collato, ut prætendit objectio.*

Ex Bert. tom. 3. lib. 17. cap. 4.

109 Ita ne verò stupidus es homo, ut nec illam distinctionem capias, *Quoad sufficienciam, & quoad efficaciam*, quam qui-

quivis Theologus Thomista non ignorat, ut eâ semel applicatâ præfatæ propositioni Norisianæ, illam intelligere valeres? Eja cape. Suppone in Deo ex dictis paragrapho antecedenti duplicem voluntatem, vel potius duplex munus ejusdem voluntatis: *Antecedentis*, scilicet, *Inefficacis*, & *conditioni innixæ*, ut tu ipse dixisti: & *Consequentis*, *Absolutæ*, *& Efficacis*. Primæ voluntatis effectus est, instituere, parare, exhibere, & etiam actu conferre (ut modò præscindamus à sententiis in Scholis probabilibus, vide Godoy, vide Gonet) auxilia gratiæ sufficientia, quibus, nisi homines ea detrectent, possint salvari. Secundæ voluntatis, nempe *Consequentis*, effectus est insuper, dona specialissima & efficacia gratiæ, etiam finalis perseverantiæ, largiri, quibus per eam voliti certissime cooperante eorum libero arbitrio ad æternam salutem perducantur, & in termino felicitatis æternæ effectivè collocentur. Prima voluntas & ejus effectus communis est omnibus hominibus in universum. At secunda voluntas cum suo effectu nonnisi solis prædestinatis & electis.

110 Igitur Christus per omnia conformis divinæ voluntati, mortuus est pro omnibus in universum hominibus quoad effectum voluntatis antecedentis; quippe morte sua omnibus meruit auxilia & remedia sufficientia, quibus possent salvari. Unde Div. Thomas 3. *p.* *q.* 49. *art.* 1. *ad* 3. *Christus sua Passione nos à peccatis liberavit causaliter, id est, instituens causam nostræ liberationis, ex qua possent quæcumque peccata quandocumque remitti. Sicut si Medicus faciat medicinam ex qua possint quicumque morbi sanari &c.* Non est autem mortuus pro omnibus quoad voluntatem Dei consequentem, & ejus effectum; sed tantum pro *electis*, quibus solum conferuntur dona gratiæ specialissima, etiam finalis perseverantiæ, quibus certissime liberantur, & in termino æternæ salutis ponuntur. Et en hic propositio Norisii & ejus ratio: *Non pro omnibus hominibus mortuus est Christus &c.* quoad voluntatem nempe Dei *consequentem*, *absolutam*, *& efficacem*, utque omnibus darentur auxilia gratiæ specialissima, etiam perseverantia finalis, quibus certissime liberarentur, quandoquidem multi sunt qui pereunt, & damnantur.

111 Sed verò quòd Christus mortuus fuerit pro omnibus omnino hominibus primo modo quoad voluntatem Dei antecedentem, & ejus effectum præparationis scilicet, & etiam

exer-

exercitæ collationis auxiliorum sufficientium, firmiter tenuit Norisius; immò oppositum gravi censurâ dignum putavit hoc ipso in loco, quin longius eamus, cum sola differentia unius columnæ ad alteram, nempe 708. ad 707. immediate antecedentem (ut palàm videatur hujus hominis fallacia, & dolus quocum Norisio agit. Ibi itaque refert Norisius unum ex articulis quos *Hincmarus* opponebat Gothescalco, & erat iste: ,, Dicit, quòd & veteres Prædestinatiani dixerunt, quòd non ,, pro totius mundi redemptione, & non pro omnium homi- ,, num salute, & redemptione Dominus & Salvator noster Je- ,, sus Christus sit crucifixus, & mortuus, sed tantùm pro his ,, qui salvantur. Audit Noris hunc Hincmari articulum. Et immediatè subjungit: *Sane hæc propositio est hæretica, meritoque ab Innocencio X. proscripta, sequeretur enim, omnes Christianos reprobos in baptismate, & antequam in peccata dilaberentur, vel nullam habuisse gratiam, quod est idem ac dicere, sacramenta nulla suscepisse, quod blasphemum, vel gratiam illam non fuisse ex meritis Christi, quæ æqualis, immò pejor blasphemia est.* Igitur Duacensis, ad hæc inconcusa Norisii testimonia, qua fronte audebis in conspectu hominum apparere? Abi in malam crucem mendaciorum consarcinator. Post hæc sibi homo fingit quoddam velut spectrum coram se oppositum, & incipit ingenti cum impetu tela post tela vibrare: at Norisius omnibus illis minime lædi potest, quia ante posita confessione sua, astute atque subdole prętermissa, semper est protectus. In omnibus illis servet Lector declinationem, de qua in fine paragraphi antecedentis.

§. VI.

RESPONDET PARAGRAPHO XVI. Duacensis Libelli.

112 IGITUR postquam Duacensis umbraticam imaginem sibi visam finxit, & confinxit, tandem in se reversus arguit Norisium Jansenismi, quia *lib. 1. Historiæ Pelagianæ cap. 2. & 3. col. 224.* dixit: *Deus jubet quandoque quod non possumus* (quod alioquin ibi tantum perfunctoriè dixit, & exprofesso non nisi Tomo 3. & iste non est proscriptus.) Hujus

jus olim insimulavit etiam eumdem Norisium Romæ ille ille *Scrupulosissimus homo*, de quo supra, qui ex favorabili sententia Inquisitionis Romanæ erga Norisium, quæque favorabilior in dies expectabatur, accedente nova approbatione octo gravissimorum Theologorum majoris notæ à Beatis. P. & Domin. Nost. Innocencio XII. adlectorum in Congregatione peculiari ad iteratam trutinam Operum Norisii, eò pervicaciæ furore suo percitus devenit ut Anonymum libellum linguâ communi & vulgari sparserit, quo appellabat *Christo Domino Crucifixo*. Ab hac igitur manu Duacensis novissimè ductus, tulit istum lapidem, quem modò Madriti rursus in Norisium jaceret. Lapis pusillus est, sed tam grandis Duacensi visus, ut solo eo assecutus sit, quòd tota *Historia Pelagiana* proscriberetur in recenti Expurgatorio Hispano, simul adjuncta *Dissertatione historica de Synodo V. OEcumenica* plenè & planè innocua, quippe nullum hucusque testimonium adversus eam ex iis quæ assolet, adduxit: ac si, ut supra dixi, nec sat ponderabo, consultius non foret, quando prædicta propositio aliquantulum male sonaret, eam deleri jubere, prout moris est in Supremo Fidei Tribunali etiam cum aliis scriptis ignobilioribus, & non omnem Historiam tanta eruditione plenam omnino proscribere. O bone Deus, *quanta malignatus est inimicus in Sancto*! Et perbelle *in Sancto*, quia propter *Sanctum Augustinum* in fine ejusdem *Historiæ Pelagianæ* à Norisio vindicatum.

113 Sed ad rem. Vel culpa fuit Parochi, cui paragrapho præcedenti Duacensem instituendum misi in Sacro Concilio Tridentino, vel ex nimia hebetudine discipuli ortum, quòd tam indoctus denuò redierit in eodem Sancto Concilio: quod nempe *sess.6. cap.11. de Justific.* sic ait: *Deus jubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat ut possis.* Pondera, si vales. En homo constitutus sub Dei præcepto: *Deus jubendo*: en rursus quòd non potest illud actu implere: *quod non possis*: immò ut possit, monetur Deum orare: *Deus jubendo monet::: petere*. Igitur vide hìc expresse Norisii sententiam loco objecto, ubi ita ait (ut rursus confundaris tuæ assuetæ truncationis) *Deum jubere quandoque, quæ non possumus, ut ab illo noverimus, quid petamus*. Confer, & vide, an à Sancto Concilio quidquam discrepet.

114 Sic igitur dixit, qui cum Augustino dixit, *lib.de Grat.*

& lib. arbitr. cap. 17. *Qui ergo vult facere Dei mandatum , ET NON POTEST , jam quidem habet voluntatem bonam , ſed adhuc parvam & invalidam : poterit autem , cùm magnam habuerit & robuſtam.* Et lib. 3. contra Maximinum , cap. 14. *Quis neſciat aliud eſſe præceptum , aliud poteſtatem ? Hoc enim habemus in poteſtate , quod cum volumus , poſſumus. Præceptum vero id nobiſcum agit , ut quod jam eſt in poteſtate , faciamus. Si autem NON EST IN POTESTATE , oremus nobis poteſtatem dari , ut quod præceptum eſt , impleamus.* En primo loco mandatum Dei homini impoſitum , quod aliàs homo implere *NON POTEST*. Et in ſecundo Dei præceptum , cujus impletio *NON EST IN POTESTATE* hominis juſsi : & ex utroque Sanctum Concilium Tridentinum quaſi tranſcribens laudatam ipſius ſententiam. Cui alioqui , ni ſis blaſphemus , reponere non potes quod Auguſtino cum Toſtato , & Cano , quod *erravit*. Erravit utique Auguſtinus , ſæpe faſſus eſt ipſe , ſed errata correxit in ſuis Retractationibus. Accedit , quòd ſi in materia præſertim *de Gratia* , aliquis error ſupereſſet poſt ſuas Retractationes inſuper dignus corrigi , vel illum emendari curaret Eccleſia , vel non ſic in quæſtionibus ſuper ea pro tempore inſurgentibus mitterent Summi Pontifices eas terminandas & finiendas juxta Auguſtini Scripta , ut ſupra audiſti de *Hormiſda*.

115 Ad rem autem verſus. Cum audiſti Noriſium ubi ſupra dicentem : *Deus jubet quandoque quod non poſſumus* , non debuiſti , niſi quia tantum tumet voluiſti , illum intelligere de *impotentia antecedenti* , quippe qui (ut aliàs late potuiſti videre in Diſſertatione, cui titulus : *Janſeniani erroris calumnia ſublata*, præſertim §. 1.) cum omnibus Thomiſtis poſuit & agnovit (ex diametro alioqui oppoſitus Janſenio *propoſitione* 2. in eo damnata) gratiam ab eis communiter dictam *Sufficientem*, & quidquid ſit de rigore grammaticali , in quo non pauci voluerunt hærere , bene ſufficientem dictam in ſenſu ſui Angelici Præceptoris 3. *p. q.* 61. *art.* 1. ubi pertractans de neceſsitate Sacramentorum , cùm tertio loco objeciſſet : *Poſita cauſa ſufficienti nihil aliud videtur neceſſarium ad effectum : ſed Paſsio Chriſti eſt ſufficiens cauſa noſtræ ſalutis. Non ergo requiruntur Sacramenta ad ſalutem humanam.* Reſpondet S. Doctor : *Ad tertium dicendum, quòd Paſsio Chriſti eſt ſufficiens cauſa humanæ ſalutis : nec propter hoc ſequitur , quòd Sacramenta non ſint neceſſaria ad humanam ſalu-*

lu-

lutem : quia operantur in virtute Paſsionis Chriſti , & Paſsio Chriſti quodammodo applicatur hominibus per Sacramenta. En ſufficientia Paſsionis Chriſti ad humanam ſalutem , licèt aliàs ut ſuum ſortiatur effectum , deſideretur ejus applicatio. Ita ergo ſufficiens eſt gratia poſita à Thomiſtis ex parte actus primi , quantumvis rurſus requiratur gratia prædeterminans , & intrinſicè efficax , ut ad actum reipſa applicetur. Accedit exemplum naturalium omnium potentiarum , quæ completæ dicuntur ſingulæ in ſuo genere , quamquam actu non operentur , apud omnes , niſi prima cauſa movente.

116 Igitur cùm Noriſius aſtruxerit nomine *Adjutorii ſine quo non* ab Auguſtino dictam , gratiam *Sufficientem* Thomiſticam , per quam humana voluntas eſt ſimpliciter potens operari in ordine ſupernaturali , prout ſupponi debet, ad impletionem præcepti ; ne dicatur , Deum nobis impoſsibilia præcipere : non venit intelligendus loco adverſus eum objecto (niſi extorta intentione malignantis animi) de *impotentia antecedenti* , & *ex parte actus primi* : ſed tantùm de *impotentia conſequenti*, & *ex parte actus ſecundi* , quæ tollitur per gratiam intrinſice efficacem , ſive prædeterminantem Thomiſticam. Hæc gratia in Schola Auguſtiniana, proindeque Noriſii , habet ſuos gradus, prout clare evincitur ex locis allegatis S. Auguſtini eam appellantis nomine voluntatis jam *parvæ* , jam *magnæ* ; jam *invalidæ*, jam *robuſtæ* : quare deſideratur juxta qualitatem operum , adeò ut quò faciliora ſint opera & minus perfecta , minor gratia requiratur , & quò difficiliora & majora ſint opera elicienda, major & intenſior gratiâ deſideretur.

117 Demus ergo caſum alicujus præcepti urgentis , cujus impletio ob ſui difficultatem requirat quatuor gradus gratiæ,vel gratiam in quarto gradu : & aliàs homo non habeat niſi gratiam ut duo. En caſum Noriſii , Dei ſcilicet jubentis , & hominis non potentis implere præceptum ; non equidem impotentia antecedenti , quia ſic potens eſt per gratiam ſufficientem, ideoque habilis cui Deus imponat præceptum , & ne hoc dicatur ipſi abſolutè impoſsibile : ſed impotentia conſequente tantùm. Neque iſta eſt abſoluta , quia habet ſaltem potentiam remotam ad impletionem præcepti , licèt non habeat proximam & expeditam. Et ratio , quia gratia illa ut duo , quæ ſupponitur conſequenter inſufficiens ad impletionem præcepti , velut exequi

dif-

difficilis, ſufficiens eſt ad actus faciliores, v. g. humilis orationis ad Deum, ut ſibi donet tantam gratiam, quanta opus eſt pro impletione præcepti. Huc venit illud Tridentini: *Facere quod poſsis, & petere quod non poſsis.* Huc rurſus illud Auguſtini: *Si autem non eſt in poteſtate, oremus nobis poteſtatem dari, ut quod præceptum eſt, impleamus.* (Et utrumque aliàs Duacenſis cœci ad inſtar ducit in foveam Janſeniſmi, ſi æqua eſſet ſua propoſitionum Germanitas) Quare ſi homo ille in iis circunſtantiis non habet poteſtatem proximam & expeditam ad impletionem præcepti, habet ſaltem remotam, eò ipſo quòd illam habet proximam ad orandum (hæc quippe gratia ex divina benignitate nemini denegatur, ajente Chriſto Domino, *Lucæ* 11. 9. *Petite, & accipietis: pulſate, & aperietur vobis*) pro uberiore gratia, qua fiat potens proxime & expedite præceptum implere.

118 Unde rurſus fit, quod etiam ſtando *potentiæ conſequenti* non debuit (ſi Duacenſis ingenuus eſſet) intelligi Noriſius, quòd abſolute negaret omnimodam potentiam in homine juſſo ad impletionem divini præcepti, ſed tantùm proximam & expeditam, cùm ponat remotam & mediatam (quam alioqui Janſenius penitus negavit.) Quod vero hæc potentia remota in homine mediante gratia & auxiliis remote tantùm ſufficientibus ad impletionem præcepti, ſat ſit, ne dicatur, *Deum impoſſibilia* umquam *præcipere*, uti idem Janſenius erroneè dixit, & aſſeveravit, prior ſtatuit & amplexus eſt eximius P. *Franciſcus Suarius*, prout ipſe Duacenſis, ſi Noriſio credere recuſavit, videre potuit *lib.* 4. *de Auxiliis Grat. cap.* 18. *num.* 19. ubi verſans differentiam utriuſque ſtatus naturæ rationalis, *innocentiæ* ſcilicet, & *lapſus* quoad poſſe in bono perſeverare; nec enim dici poteſt, quod non teneamur perſeverare in bono, ſicut tenemur illud operari. Ibi itaque ait ſic ex Auguſtino ipſi potiùs obſequioſus, non ut Duacenſis irreligioſus: *Dico ergo ſenſum Auguſtini eſſe, Adamum recepiſſe auxilium proximè ſufficiens ad perſeverandum, ſi vellet, & ita ſufficiens, ut pro ſua libertate & velle, & perſeverare cum effectu potuiſſet, quod eſt veriſsimum &c. De hoc ergo eodem auxilio ita proxime ſufficiente negat Auguſtinus dari hominibus lapſis, qui cum effectu non perſeverant, idque in pœnam primi peccati:::* Non dicit tamen *Auguſtinus hujuſmodi homines in præſenti ſtatu nullum auxilium*

ſuf-

ſufficiens recipere ad perſeverandum : nam RECIPIUNT SALTEM REMOTE SUFFICIENS , quod ſuo modo eſt VERE SUFFICIENS ; in eis tamen propter conditionem hujus ſtatus tale eſt , ut non ſit PROXIME , ſed REMOTE SUFFICIENS , & ut numquam conſequatur effectum : ita ergo ſuo modo in præſenti juxta præcedentem Auguſtini doctrinam. Et hinc proſequitur faciendo illam quoque ſuam.

119 Perpende hîc Duacenſis. En ex tuo Suario Auxilium non *proximè* , ſed *remotè* tantùm ſufficiens (& plus *quod numquam conſequatur effectum*) proindeque *potentia* tantùm *non proxima* , ſed *remota* in homine ; & aliunde in eo debitum & obligatio agendi bonum , quo in eo perſeveret , cum præcepto alioqui jubente perſeverantiam ejus. *Ergo ſtat* (vide ſummam) *Deum quandoque jubere , quod non poſſumus potentia conſequenti proxima , immediata , & expedita.* Et en rurſus hîc propoſitionem non tantùm Noriſii , in quo eam adeò exhorruiſti , quàm eximii Suarez in quo eamdem revereberis , quem inſuper redarguere poteris, ſi mavis, juxta tuam vanam, vaniſsimamque apprehenſionem , poſuiſſe ſcilicet , quod *Lex reos facit jubendo* , uti facis cum Noriſio §. XIX.

§. VII.

RESPONDET PARAGRAPHO XVII. Duacenſis Libelli.

120 P*Roſper.* Hîc Noriſium iterùm inſimulat Janſeniſmi , quia dixit lib. 1. *Hiſtoriæ Pelagianæ, cap. 21. col. 211. Peccato Adæ liberum arbitrium non periiſſe , ſed libertatem ad faciendum bonum , quæ ſola SERVATORIS gratia reſtituitur.*

121 Poſt tot hominis ineptias hucuſque viſas nuſquam talem audivi , qualis iſta eſt. Si ex confeſsione Noriſii ex peccato Adæ liberum arbitrium non periit : Ergo perire non potuit *libertas indifferentiæ* , quippe per eam innatè conſtituitur, immò neque aliud eſt niſi æquilibrium ad utrumlibet. Rurſus : diſtinctio quam hic Noriſius facit inter liberum arbitrium , & libertatem , ſpecioſa proculdubio eſt , ſed quam tu ob hebetitudi-

dinem tuam nec minimum deprehendisti, cùm glossasti: *Quia non periit libertas à coactione. Libertas à coactione* non correspondet voluntati ut *libera est libertate indifferentiæ*, quo pacto dicitur liberum arbitrium: sed tantùm ipsi correspondet quà *voluntas est*, sive *Potentia essentialiter & constitutive voluntaria*. Et id ignorat Duacensis Theologus, quod scit quivis Animasticus?

122 Distingue itaque homo *libertatem indifferentiæ*, sive *à necessitate*, & *libertatem ab obstaculis & impedimentis retardantibus ad bonum operandum*. Prima libertas salva consistit post Adæ peccatum. At secunda periit, quia periit ex ejusmodi peccato libertas à concupiscentia rebellante ad bonum, & inclinante in malum, quæ non erat ante peccatum, & per peccatum ipsum contracta est: de qua Apostolus dixit ad Rom. 7. 23. *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati::: Quis me liberabit de corpore mortis hujus? Gratia Dei* per *Dominum nostrum Jesum Christum*. En libertatem, quæ ex Norisio ad peccatum originis periit, quia si *Lex captivans* ex Apostolo, ubi captivitas, ibi non libertas: quæque juxta Apostolum restauratur per *Dominum nostrum Jesum Christum*: & juxta Norisium concinentem, *SERVATORIS GRATIA restituitur*. Ad hæc timeo, quòd si iste homo Duacensis non cohibetur, ipsum Div. Paulum cum Jansenistis est involuturus, immò Sacram Scripturam proscribi facturus. Tenete & ligate eum, & ducite caute ob imminens periculum superius dictum.

123 Et quia hîc repetit Norisium incusare super ab eo dictis suprà de Virtutibus infidelium, ipsi quoque offero pro coronide Eximium Suarium, quo audito forsan penitùs obmutescet. Itaque Doctor laudatus *lib. 1. de Necessit. gratiæ ad opera naturalia, cap. 21. num. 3.* hæc habet: Alia expositio ex ibidem „ dictis desumi potest, opera sine gratia facta non solùm inuti- „ lia esse, sed etiam *RARO* ex omni parte bona, & præsertim „ ex intentione finis, & maximè in infidelibus: & ideo ab Au- „ gustino prætermitti in enumeratione & partitione operum li- „ beri arbitrii, quia quæ tam rara sunt, & tam parvi momen- „ ti, tamquam nulla reputantur. Per hoc tamen non excludit „ Augustinus quod aliis locis fatetur, posse esse in homine om- „ ni gratia carente aliquod opus morale in suo ordine simplici-

ter

„ ter bonum, sed quia illud *RARUM* est, & ad disputationem „ contra Pelagianos nihil refert, illud prætermittit. Distinguat Duacensis, si potest, in quo hæc Suarii ingenua confessio differat à sententia Norisii cum addito suo *ut plurimum*, quod *raro* hîc vertit Suarez, & in idem recidit. Quantacumque conspicilia adhibeat, discrimen ullum non investigabit. Eja itaque, vel Eximium Suarium junge Germanitati Novatorum, quos ibi ingeminasti: vel Norisium inconsideratè, ne dicam stulte positum inde tollas. Sed non item, desine, relinque, ut sic melius maneat in perpetuum inscitiæ tuæ monumentum.

PROSPER MADRITENSIS AD Augustinenses verba pro Norisio mutuans, quæ olim S. Prosper Aquitanus de suo Augustino primùm protulit.

SUFFICIENTER, ut arbitror, demonstratum est, reprehensores *Cardinalis Norisii* & vana obiicere, & recta impugnare::: peremptorumque armis intestinum bellum moventes dictis divinis atque humanis constitutionibus rebellare. Quorum tamen, dum adhuc non sunt à fraterna societate divisi, toleranda magis est intentio, quàm desperanda correctio: donec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos judiciorum suorum ministros hæc, quæ per paucorum superbiam, & quorumdam imperitiam sunt turbata, componat. Nobis Deo adjuvante, sit studium, quietâ modestaque patientia odiis dilectionem reddere, & ineptorum vitare conflictus. *In Peroratione contra Collatorem.*